

fulta interdum hostilibus suspicionibus obtricitatur, quasi civilis auctoritatis cardines concuriat, in eiusque iura involeat. « Quas adversus suspiciones — affirmat Pontifex — Nos (salvis iis omnibus atque integris, quae Decessor Noster im. m. Pius XI, per Encyclicas Litteras *Quas primas* die xi mensis Decembris a. MDCCCCXXV datus, edocuit de Iesu Christi Regis eiusque Ecclesiae potestate) apostolica sinceritate declaramus Ecclesiam esse prorsus ab eiusmodi propositis alienam, quum eadem ad homines omnes materna brachia pandat, non ut in eos dominetur, sed ut iisdem qua potest ope inserviat. Neque in peculiarem ac proprium ceterarum legitimarum auctoritatum locum se sufficere conatur, sed potius easdem adiuvat, divini Conditoris sui spiritu per vasa, eiusque vestigiis insistens, qui *pertransiit bene faciendo.*²⁰ Ecclesia enim edicit ac praedicat obedientiam observantiamque terrenis potestatibus deberi, quae suam a Deo nobilem originem obtinent; ac Christi Domini pracepto obsequitur dicentis: *Reddite quae sunt Caesaris, Caesari.*²¹

(*Ad proximum numerum.*)

ANNALES

Europaeum discrimen

Incursione in Finnicam regionem a Russis facta, queritur vehementer Finnicae reipublicae Praeses de concussis iuribus apud Nationum Societatem, quae, audita altera parte, huius expulsionem a Societate decernit. Russi vero hanc poenam minimi faciunt, imo quasi vinculo quovis soluti acrius in parvum illum populum saeviunt, ne senibus quidem, foeminis puerisque effugium hac illac potentibus, quinimo neque infirmis in nosocomiis degentibus, incendiariis globis suis, minime parcentes.

Obstant Finnici, tamque strenue obstant, ut, miles unus contra quinquaginta et ultra hostes, impediunt quominus hi aliquam Finnici territorii partem suam faciant; quin

²⁰ *Act.*, X, 38.

²¹ *MATTH.*, XXII, 21.

etiam ultra fines passim reiiciunt, perse-
quuntur, profligant, decimant, spoliaque ampla referunt. Quousque vero heroicus ille parvus populus contra Russicam molem durare poterit?...

Inter Anglo-Gallos et Germanos conflitatio in terris inter utriusque partis vigiliū concursus agitatur; in mari incendiarii globuli vagantes non bellantium modo, sed nationum neutri parti faventibus naves quotidie submergunt. Acie tantum decertatum est apud Uruguiana litora in inferiore America inter Anglicas quasdam bellicas naves et loricatam navem Germanicam, cui nomen *Admiral Scheer von Spee*, quam, quum damna passa esset perfugiumque in Montisvidei portu ad ea reparanda quaesiisset, quumque inde ex gentium iure de bellantibus in regionibus mediis se gerentium post aliquot horas sibi proficiscendum esset, potius quam Anglorum in insidiis subsidentium praeda fieret, maluit eius imperator a classiariis suis igne dirui; post quae ipse sibi mortem consivit.

Italici felices eventus

Die IV mens. Decembris, Italicorum Rex Imperator cum uxore Summum Pontificem Pium XII Romae in aedibus Vaticanis sollemniter visitavit; qui vicissim eos regiamque familiam die XXVIII eiusdem mensis pari ritu revisit, ovante atque gratulante Romano populo, qui hinc pacem et amicitiam inter Italicum Statum et Christi Ecclesiam, a Pio PP. XI anno MCMXXIX restitutam, fauste ac feliciter confirmatam vidit.


POPICOLA.

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSI C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS





VARIA

Quibus ex causis potissimum soleant oriri bella.¹

Prima inter Sabinos et populum Romanum belli causa eadem fuit, quae alios etiam principes et magistratus irritare consuevit, sive illa casu, sive ex instituto pendeat eius, qui bellum movere cupit. Samnitii belli causa fortuita fuit, neque enim constituerant Samnites, quem Sidicinis bellum movissent, etiam ad Campanos venire, et ex Campanis bellum Romanum transferre, ut cum populo Romano, cum quo amicitia et societas vetus intercedebat, dimicarent. Sed accidit praeter expectationem cum Romanorum tum Samnitum, ut Campanus populus a Samnitibus oppressus auxilium a populo Romano peteret, et quem id adversus Samnites veteri foedere vincitos aliter impetrare non posset, sese in populi Romani ditionem potestatemque daret. Iniquum esse visum est populo Romano tunc Campanis ut sociis auxilia ferre, eosque adversus Samnites vetustiori amicitia vincitos armis defendere; sed postquam se dedidissent, turpe etiam videbatur, si dediditos suos non defenserent, aut si occasionem darent aliis, qui forte eodem modo se essent in ipsorum potestatem dedituri, dubitandi de fide ipsorum. Id enim ei scopo magnopere repugnabat, qui populo Romano a primo urbis initio propositus fuit, ad gloriam et Imperii magnitudinem perveniendi. Eadem causa fere etiam primum bellum Punicum excitavit, quod adversus Carthaginenses Romani forte Messanenses in Sicilia defendissent. Sed non fortuita fuit secunda eiusdem belli occasio, quod Annibal, Carthaginensis imperator, de industria Saguntinis, populi Romani sociis in Hispania bellum movisset, ut exciti ad illorum

defensionem Romani, occasionem Poeno darent in Italiam traiiciendi. Estque usitata admodum ista ratio arripiendarum belli occasionum. Nam ut fides non violata esse videatur, quae certis pactis diu firma fuit, non bellum movent adversus confederatum ipsum, sed ipsius amicum aut clientem, certo fore sperantes, ut ad ipsam defensionem sese accingens, ipsis quoque cum illo dimicandi occasionem praebat; aut si clientem aut amicum non defenderit, manifeste reprehendi queat perfidiae; atque hac quoque ratione facile ad oppugnandum se hostibus aditum exhibeat. Singulare autem est, et prae ceteris, illustre exemplum Campanorum cum ad belli suscipiendi occasiones intuendas et considerandas, tum ad cognoscenda arripiendaque extrema defensionis remedia; ut, quem manifeste cernas te hosti in praedam cessurum, in alterius potentis principis potestatem te dedas, a quo defendi queas, ut Campani fecerunt.

Pro iudicibus mensarum elegantibus

ESCARUM ORDO:

Furfuricula iurulenta.

Fricta et varia obsonia more Subalpinorum.

Capo elixus oryxa fartus.

Turdi veru assi.

Mala aurea saccharo condita.

Icosa

TUCCIUS apud amicum domesticas divitias celebrat.

— Mater mea — inquit — vel in dentibus aureas gemmas servat!

Amicus TUCCIO:

— Quot muribus putas felem ieunium solvere sibi posse?

TUCCIUS: — Uno, profecto; deinde enim ieunus non est amplius!

Aenigmata in fasciculo mensis Decembris MCMXXXIX proposita his respondent:

1) *Iocus, Focus;* 2) *Vafer, Afer.*

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: « De republica disputationes ex prima decade T. Livii » latine vertit H. BINDI.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXL est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romanum, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

“ALMA ROMA” IN ANNUM MCMXL

Novo anno ineunte, qui vitae nostrae erit septimus supra vigesimum, haud profecto nimias singularesque difficultates nobis dissimulamus, quae ex temporum adiunctis obviam fiunt; minime vero eo animo deficientes, qui nunquam non in longissimo quod emensi sumus itinere succurrit, atque oculos acriter semper intendentis ad proposita assequenda, quibuscum opus hoc nostrum condidimus et proseguiri sumus, ad novum scilicet parandum triumphum Romae matris universae, per vinculum, non quidem ultimum, materni sermonis, illis viris saltem communis, quorum doctrinae munus erit cultum et humanitatem futurae aetati imponere. In hodierno igitur tanto rerum discrimine, opus alacritatis operaequa plenum eo magis ab iis omnibus requiritur, qui ipsarum rerum instaurationem appetunt principiis Romae aeternae fultam; aeternae, dicimus, quippe centrum fuerit constituta Christi radians veritatem. Ad id tributum pro parte nostra solvemus, tributum quocumque vires suppeditent, mentis ac sermonis, eiusque non inanimis, sed vitalis semper, aptique ad omnes res vel recentissimas hodiernasque exprimendas, novumque pacifcae unitatis commercium restituendum.

Nisus vero noster inutiles evadent, nisi sociorum nostrorum non bona voluntas modo, sed actio sollicita uniatur. Extremorum annorum

tristes vices plures ex sociis a nobis circumscidere, in Hispania primum, ac deinde in Cecoslovachia, postea in Polonia, recentissime autem, hisce nempe diebus, in Balticis regionibus, quo etiam vox nostra grata acceptaque insonabat: necesse est hiatus compleantur, acies redintegrantur; idque munus est nobiscum ex aliis nationibus consentientium, quorum studio industriaeque bene credimus. Si horum unusquisque unum socium novum adduxerit, phalanx nostra statim restituta fuerit, imo numero aucta. Eia igitur!

Quod ad nos in re attinet, licet impensis oppressi, subnotationis pretium in annum MCMXL immutatum reliquimus, nempe in Italia libell. 15; pro ceteris universi orbis nationibus summa, quae italicas libell. 30 exaequet. Communi vero huic subnotationi additur altera, quam *adiutricem* appellare consuevimus, duplicato utriusque consociationis pretio. Inter *Patronos* autem Commentarii adscribentur qui summam Italicas libell. 100 exaequantem miserint, vel socios novos quinque inscripserint.

Praeterea qui integrum ALMAE ROMAE commentarii collectionem, ab anno scilicet MCMIV ad annum MCMXXXIX inclusive, sibi cupiant, mittant libell. 700 si in Italia; pretium duplicatum, libell. nempe 1400, si apud exteris gentes.

Pecunia autem omnis solvenda erit sive directe apud doctorem JOSEPHUM FORNARI, « ALMAE ROMAE » Moderatorem, Romae, « via del Governo Vecchio, 96 »; sive-idque fortasse exteris incolis expeditius hodie fiet – indirecte per « Typographiam Polyglottam Vaticanam (Città del Vaticano) », vel per bibliopolam aliquem, aut aliquod suae civitatis Romanum Collegium, vel nummariam mensam exterarum civitatum in Urbe procriptionem habentem.

Denique has de subnotatione leges in mentem sibi quisque revocet:

1) *Consociatio sub anni exitum non retractata pro redintegrata habetur.*

2) *Qui ALMAE ROMAE specimina habuit, neque post fasciculos tres acceptos — (quod nullo impedio facere poterat; quae enim a publico cursu tradita recusantur, gratuito ea mittenti restituuntur) — tamquam socius valide reputabitur, ideoque ad solvendum annuae consociationis pretium tenebitur.*

MYSTERIA RERUM

Carmen Iosephi Morabito in certamine poëtico Hoeufftiano ann. MCMXXXIX magna laude ornatum

Sidera, quae immensi tenebrosa silentia caeli
huc illuc celeri tranatis plurima lapsu
eque polo medio petitis certo agmine septem
stellarum cursus metuentes aequore tingi,
udis ut quandam campis sub nocte silenti
innumeræ obscuras luces lampyridis umbras
pungunt seque umbris post tantula lumina mer-
gunt,
sic tenui fulgore statim spatia alta secatis
inque sinu noctis raptim vanescitis imae.
Hic solus, taciti deserto e vertice collis,
quae magna ante oculos intentos undique ful-
gent
suspensumque animum quadam formidine com-
plent
atque arcant, specto (nictantia sidera caelis
hic ibi scintillant), volucris dum labitur hora.
At quae per sudum apparent caelumque pro-
fundum
findere vel minimo tractu minimave per ae-
thram
luce coruscantem praelongum ducere sulcum
miramur, quae diva manus propellit et urget?
Ex quo longinquo caelorum limite pulsat
mundi iter immensum motu properante pera-
grant?
quove ruunt? flexisne viis, quod nunc cita fin-
dunt,
quando iterum spatium post tempora longa se-
cabunt?
Heu, ter felices, qui, quamquam debita morti
corpora sortiti, diva ceu mente per omne
aethereum mundi limen sine fine volantes,
cunctarum vigiles rerum mysteria tentant:
queis ex corporibus constant tot sidera, quan-
tum
hinc tantae distent moles, qua lege vagentur
stellae, quae spatii tantummodo puncta videntur
tangere caelorum; num demum turbine currant
ut post immensum tempus per inane volutae
olim sese inter collidunt, fragmina et inde
mundorum saliant per concava vasta novorum,
an certo semper procurant tramite, diva

quem Mens aeterno rebus signavit ab aevo.
Omnia scrutantur; sed, postquam mente sagaci
cuncta pererrarunt, redeunt telluris ad oras
atque hanc magno animo penitusque ia-
centem
vallem despiciunt, odiis ubi tristibus acti
tam flagrant homines ut caeco pectore ferrum
in fratres acuant acrique cupidine condant.

Quam felix, magnæ raucis clamoribus urbis
qui spretis arcana studet perquirere rerum,
vita unde innumeris veniat viventibus utque
germina paulatim crescent et montibus altis
arbor frondescens cum saevis proelia flabris
misceat, ingentem quae multa per aera currant,
unde tremat tellus et quae maculosa minutetur
terrigenis facies solis, quid forte loquuntur
tam procul inter se tacitis distantia semper
sidera colloquii, ut vasta per aequora mundi
nescio quid volitans societ loca dissita vincis.

At vos, parrhasias labentia lumina ad ursas,
in tenebris noctis lentas discurrere in horas
plura oculis contemplor avens, totusque videtur
hinc inde imbre polus rutilante nitescere lucis.
Anxia prosequitur vos mens, convexaque caeli,
corporis obruptis, obstant quae claustra, re-
currere percupiat, si noverit unde profecta
mira manus quaedam per tanta silentia pellat.

Tantillæ moles, solem, qui maximus almo
omnia collustrat fulgore atque omnia semper
vivificat radiis manantibus undique in orbe,
vos, circumvectae immani ceu turbine, amoris
caeca velut rapiat vis, cingitis usque. Volatu
quodsi praecipiit tellus (caelestia regna)
Terra volutando se raptim, prona peragrat
atque ambit solem, Luna comitante, remotum)
vos vi forte trahat, qua corpora cuncta trahunt
aeterno in spatio, vacuas sine pondere massas
aeris urgetis. Via fit vi. Obstantis auris
obstat et ipsa, suo veloci percita motu,
moles; innumeræ scintillæ hinc inde resul-
tant,

inque fuga longum fulgorem pone relinquit,
quo loca cuncta poli raptim tenebrosa secantur:

convertunt homines trepidantia lumina caelis.
Maior vis terrae fugientes attrahit: ecce,
aetheris ut liquidi massa obstat spissior, ignis
ex motu augetur, grandescit, phoebus ut alter
extiterit subito caeli per opaca silentis.
Inde statim longo turbantur cuncta boatu,
ictaque terrifico subsistit terra pavore;

anxia corda tremunt, immotaque lumina per-

[stant,
fragminibusque pluit cendentibus atque coru-
[scis,
queis nuper magnum licuit volitare per ae-

[thram.

Sin, quae arcana iubet celeres vis findere
[stellas
caelorum spatium vim semper ad ima trahen-

[tem
vicerit ut, leviter detorto tramite tantum,
aetheream fugiant volitanti pondere massam
compressam, rapido vastum per inane volatu
usque pererrabunt ullo sine nomine, lucis
expertes, circa radianti lumine solem.

Noverit at quisquam quo tendant?... rursus a-

[pert
longum post aevum caeli tranquilla secabunt?
an minimae moles, permagnis molibus olim
allectae, collabentur, mersaque sub atris
alterius mox visceribus, nova fata reposcent?
an demum, ignitis consumptae viribus, omnes
terram conspargent, pulvis tenuissimus, arctam
huc illuc sensim motus spirantibus auris?

At quid erant primum longinqua ab origine
[mundi?

quid sol? quid Tellus, quae, sese cardine ver-

[tens
ipsa suo, solem cingit? quae ignota Dei vis
impulit has moles, semperque impellit anhelos?
quidve comes terrae, quid candida Luna, ri-

[genti
quae compressa gelu mortique simillima aman-

[tem
aeterne sequitur?... Suspenso pectore solus
sidera dum cerno tot se volventia caelo,
heu, quam multa velim tacita mysteria menie
pertinentare, tenent arctis quae pectora vinclis!
Nonne ingens Tellus, errantia sidera longe,

Lunaque et ipse sua Phoebus qui cuncta gu-
[bernat

lege, informis erat, cum vix primordia rerum
diffuerent spatiis passim sine fine remotis,
caecaque congeries? Percurrit inania mundi
dum suspensa, alia collisa est mole vaganti?...
Omnia contremuere, et vasta silentia caeli
en alias, ictu rescissas, fragmina mille,
dissultare simul, dum mille incendia serpent,
et simul — horrifico se volvunt turbine — in

[aethra
dependere suo viderunt pondere massas.

Sed fors, quae medius sustentat corpora
[Phoebus,

et Phoebus primum (postremo limite soles
innumeris ardebat immota lege vagantes)
nil nisi vasta, rufis fuerant congestaque moles
immensusque globus nebulaeque simillimus a-

[trae;

qui tamen aeterno, divinis viribus actus,
intus dum fervent rapido primordia motu,
occiduum versus caelum se vertere cursu
pergit. Particulae currentis in aethere mundi,
quaeque sui ipsius correptae vorticis ictu,
concrevere diu; magis at quo maxima moles
tempore durescit, gravius quo pondus eundo
fit, massa, exterior quae corruit, effugit axem
atque, perosa locum medium, mox spissior ex-

[tat

e latere; interea sensim decrescit utroque
vertice se tenuans. Externa ubi corpora, quae

[se
circuit immanis volvabant turbinis instar,
orbis quae ad medium retinens vis cuncta tra-

[hebat

nequivit tanta fugientia mole tenere,
dissita quaeque sua victricia sede, remotum
haec petiere locum vacuum suspensa per ae-

[thram:

longa diu exarsit flammaram semita linguis.
Singula nam moles (coeuntes quippe profundis
visceribus partes, quae inter se allidere semper
ac trahere inque vicem subito se impellere motu
ignoto gaudent, horrenda incendia torrent)
ignibus horrendum furiantibus undique flagrai,
nilque patet nisi correptus globus ignibus altis.
Stella Iovis secuit sic regna caelestia, Martis,
Mercurii, Veneris, Terrae, Saturnus et ille,

anulus immensus cui mollia vincula nectit,
Lunaque et innumerae minimaeque hinc inde

[ruentes,
caelorum ut tenuis pulvis, sine nomine moles.
Orbe sed in medio, quae maior manserat, etsi

partibus orba suis, vortex quas fregerat, ignes
urgebant longe maiores undique massam:
omnes lustrabat medius Sol flammeus orbes
Aethereo moles ardentes frigore tactae
concrevere magis; currebant semper eodem
perpetuo, Solis contentae pondere, motu;
partibus extremis sed post deferbuit ingens
aestus... Parva quidem spatiis proiecta renrotis
Terra pererravit nimbis agitata per aevum
aeternum: faciem lambebant sulphura et ignes
atque intus saevo certamine cuncta ruebant
seque illidebant longo quassante boatu,
dum quandoque, soli perrupto cortice summi,
dirae exundabant candens fluminis undas
amplaque obumbrabat graveolentis concava fumi
horrens velamen. Sed, decrescente calore,
telluris facies durescit tempore, cortex
durior efficitur, totamque agitabilis aer
obducit. Tonitus, — misceri immensa videntur
proelia — terrifici resonant quassataque nutat
massa recens: atri pavidis vexantur abyssi
semper enim furius, quod prima elementa coa-

[cta
fervent, luctantur certantque obrumpere clau-

[stra.

Post ea, cum terrae facies frigesceret, uidi
exurgunt calido paulatim e viscere montes;
tum mare, limitibus contentum denique certis,
caeruleas crispas zephyris fluitantibus undas,
aut longum rauco cum murmure littora tundit.

Informem interea massam dum frigora ten-

[tant,
terrifico quandoque tremunt dum cuncta fra-

[gore,
urget enim vis dira sinu compressa furtive,
per montes primum, subiecta per ampla loco-

[rum
coepere herbarum viridi succrescere amictu
semina, divina manuum fors consita iactu,
arboribusque novis texere cacumina montis.
Maximus immensis in silvis truncus ad auras

erigitur, iactat resonis qui sibila ventis,
et spissae filices, frutices, virgultaque celsa
arva tegunt calido telluris sole vigentis
eque sinu patulis praebentis robora truncis.

Intereunt silvae saeculis labentibus altae
inque loco illarum maiores tempore silvae
frondescunt virides; effusus defluit imber
atque effrenato descendunt flumina cursu...

Post vero aestatem perlongam, frigora brumae
perlongae totum mundum domuere iacentem.

non modo culminibus celsis micuere pruinæ,
sed glacie arctoæ manarunt fluminis instar
valles; nunc lapides rupesque hinc inde tenacis
ostendunt, aevi post tantum, signa laboris.

Frigora deinde orbem paulatim saeva relin-

[quunt
et loca verticibus repetunt subiecta; tepenti
tunc aura foliis sese induxit tenellis
culmina silvarum, Phœboque nitentia prata
undarunt teneris, dum ventus murmurat, herbis,
atque odor insuetus laetus volitavit in oris.

Et iam per campos, in montibus inque pro-

[fundis
gurgitibus pelagi, primum per aperta polum-
[que
tum genus est ausum se animantium ostendere.

[Serpit
horrens hoc squamis, illud per caerulea pennis
se infert praepetibus, fuscis tum viscera ma-

[gnum
in tenebris aliud commoti findit abyssi:
quorum nonnumquam suspenso fragmina corde
hic ibi, tentamus dum forte ligonibus agros,
post saecla inspicimus, vestigia parva, stupen-

[tes!
Cuncta tamen, caelo mutato, animantia prisci
temporis occubuere, genusque occipit in orbe
prono monstrorum mirabile pandere. Tandem
ast ubi tantillum visum regnare quietis,
post tot dirorum viventum funera, tutus

cum circum orbis erat regique paratus habendo,
praeditus in terras caelesti mente animoque
est homo demissus: sublata fronte supernas
prospectat sedes, splendid cui lumine ocelli,
unde patet diva qua natus origine vivat.

Tum primum casulas, tutantes corpora ab im-

[bre,
ipse sibi fecit; mentis vi denique nisus
et manibus domuit per terras monstra, supinas-

[que
edidicit putres sulcis proscindere glebas.
Imperia atque urbes sapiens dein excitat atque
parva premens gradit generis vestigia prisci.

Montibus ille catus pertentat viscera, caelum
ampulum, dinumerans stellas, magis usque per-

[errat;
non sibi concessa pennarum remige et alis
aethera transmittit, queis nescio nubila monstris
scandit, despiciens humiles quae pondera terras
aeris immensi vacuo velamine cingunt,
verbaque per spatii iactat fugientia regna ...

Sed, licet ignoti tot vincula fregerit, arctas
quam multa obducunt hominum mysteria men-
tes!

Plura quidem novit qui, pressus pectora rebus
quas nullus novit, peracuta mente acieque
instet vestigans et, limina nigra sepulcri
tacturus, gaudet, si caeli claustra recludat,
corpore et elatus spatii per summa pereret
omnia contemplans oculis incognita nostris ...
Tempus erit, cum multa homines fortasse vi-

[vitas]
quae modo suspensas mentes mortalibus an-

[gunt:
num, velut in terris, animantia corpora in altis
sideribus degant, tenebris quid agatur in atris
telluris, liceatne astrorum carpere voces
in spatiis forsan fluitantes flamme caeco,
num ventorum homines sibi subdere robora

[possint
et maris horrisoni, et quae, rupto cortice, ab

[imis
visceribus terrae iaculantur in aethera magno
ignes et cineres liquefactaque saxa boatu;
num vacuum valeant alis transmittere caelum,
an, velut extiterint quae animantia debita fatis,
et genus humanum paulatim decidat ipsum,
progeniesque alias, mutato sidere, terra
mox vetus excipiat. Cum, incerto momine flu-

[tans,
illa tremit, subitoque fragor tonat unica, late
unde ruunt urbes deiectae hominumque labores
sanguineaque homines pereunt tristisque ruina;
cum magna ora vomunt fractis e montibus ignes
sulphureos, nebulas lapidesque et flumina saeva,
nimbis tempestas strigunt cum pectora et omne
obducunt caelum rapidis nigra nubila ventis,
ignitus faciem variis cum Phoebus et amplis
ostendit maculis infectam; sidera forte
si se fragminibus quo nescio numine frangant,
vivida caelorum cum concava saepe videmus
tantillamque hominum suspensam currere ter-

[ram,
quodam confessim gelido tum frigore pectus
afficitur, mens ipsa stupet, mirandaque passim
prospectant oculi vigiles ... Tunc usque videamus
quaerere quae tandem cunctis sit rebus origo,
in gyrum vertat quae tantas vis fera moles,
quidve petant, quae diva regat mens omnia,

[finis
qui tandem fessam maneat post tempora ter-

Haec sibi mens quaerit, trepidusque invadit
[anhelam

horror. Fata homines, saeclis labentibus, ipsos
scilicet expectant et magna oblivio rerum
obrueat imperia atque urbes, lumenque virique
omnes ut tenues nebulae quandoque peribunt.
Omnia Mors diro compressa tenebit amictu:

non hominum voces, pecudum vox nulla fre-

[mentum
desertae rumpent tacitura silentia terrae;
arboribus montes non, heu, quibus ante, te-

[gentur,
nec praecips torrens e montibus excidet imbre,
litora nec tanget iucundo murmure pontus.

Horrida fors glacies, Mors omnia tristis ha-

[bebit,
terraque languentem solem circumdare perget
continue, velut umbra sui, sine fine per ae-

[vum ...
An magna tandem vi ponderis incita Tellus
incident in solem, prius unde volaverat, atque
confestim — horrendum! — miscebitur ultra-

[que moles?
In spatiis rursum contusae incendia tantae
moles conficient, nova vis ardebit utriusque,
et forsan rursum, iactata per aethera vastum,
ex functis vivi volitabunt fragmina mundi,
ut cymbae Oceani quae aeterni marmora cur-

[rant.
At vos, immensi, fugientia sidera, semper
plurima transtis tenebrosa silentia caeli:

maior adhuc numerus fieri, dum specto, vide-

[tur.
Nigror umbra subit: fessis mortalibus ater
somnia dat Morpheus tacito perblanda susurro.

Ipse sed aero de vertice — frigidus horror
nonnumquam subito tremefactos occupat ar-

tus —
omnia contemplor peragrat quae sidera su-

[dum,
et mihi magna tenent pectus mysteria rerum.

In praecipiti pedem porrigit qui mensurarum
suarum limitem non attendit, et plerumque
amittit quod poterat qui audacter ea, ad quae
pertingere non valet, eripere festinat.

S. GREGORIUS.

ANNO MCMXXXIX EXEUNTE ...

Annus MCMXXXIX cum belli crepusculo
misere occidit; quod quidem bellum non
novus isque magnus populorum conflictus
intima perspicienti apparet, immo vero
finis diutinarum viresque frangentium in-
dutiarum: armaque non suscepta sed re-
sumpta videntur ad novas bellicas vices
experiendas immanis certaminis illius,
quod ortum an. MCMXIV fallacibus tantum
conclusionibus exitum habuit an. MCMXIX.
Quod itaque ultimum historiae bellum esse
debuisse concludatum est, nihil aliud nisi
primum permanentis atque renascentis
contentionis gradum hodie nobis licet ae-
stimare. Undenam hoc?

Pius PP. XII, Christi Servatoris atque
Veritatis Magistri in terris Vicarius, in al-
locutione habita Sacro Purpuratorum Se-
natui die xxiv huius mensis Decembbris
haec iustae atque honestae gentium vitae
fundamenta alte repetebat:

I — Ius vitae atque libertatis cuiusque
nationis, magnae vel parvae, potentis aut
debilis, tuendum est. Voluntas vivendi pro
quavis natione nunquam idem esse debet
atque capitis sententia in alteram. Quum
haec iurium aequabilitas excisa, aut laesa,
aut in periculum adducta fuerit, iuris ordo
refectionem exigit, cuius modus et ampli-
tudo non gladio aut arbitrio suis tantum
commodis inserviente statuendum est, sed
iustitiae normis mutuaque aequitate.

II — Ut ordo ita constitutus tranquillitatem
diuturnitatemque, verae pacis car-
dines, obtinere possit, nationes gravi man-
cipandae sunt ab augendorum in dies ar-
morum servitute, simulque a periculo ne
manuum vis, potius quam iuris, tutelae
inserviat.

III — Humanae sapientiae praeceptis
consentaneum est, ut in quavis gentium
consuetudinis restitutione a singulis partibus,
quarum intersit, ex lacunis superio-

risque temporis mendis consequentia in-
ferantur; utque in creandis reficiendis
gentium institutis, quorum munus amplissimum item atque difficillimum, gravissi-
morumque periculorum plenum est, at-
tentate perpendantur quae de nulla utilitate
aut vitioso similius priorum consiliorum
ministerio ex rebus atque usu forte mana-
verint. Quum autem humanae infirmitati
tam arduum sit, imo fere impossibile, om-
nia praevidere, ac, dum pacis negotiatio-
nes peraguntur neque animis a concita-
tionibus acerbitatibusque vacuis esse licet,
de omnibus cavere, iuridicorum coetuum
institutio, qui summam praestituri sint
fidem de stabili et certo conventionum usu,
quumque opus fuerit de earumdem retrac-
tatione atque emendatione, summi mo-
menti est ad pacis condiciones honeste ac-
cipiendas, earumdemque vulnerabilityes et
interpretationes ex arbitrio et ab una parte
factas vitandas.

IV — Maxime vero, si melior Europae
ordo exquiratur, attendendum est veris ne-
cessitatibus iustisque petitionibus tum na-
tionum ac populorum, tum minorum ethni-
carum stirpium; quae quidem petitiones,
ni semper stricto iuri condendo sufficient
quum foedera recognita atque sancta, vel
alia iuris capita iis obstantia vigeant, be-
nevolam tamen perscrutationem meren-
tur, ut per vias pacificas iis obviam pro-
cedatur, et etiam, si necessitas postulet,
per aequam, sapientem concordemque foe-
derum retractationem. Aequabili sic inter
nationes compensatione restituta, restitu-
tisque mutuae fidei firmamentis, multa
ad vim adhibendam incitamenta coerceri
poterunt.

V — Verum instituta, vel optime con-
nexa, numeris suis non absoluta evadent
irritaque demum reddentur, nisi qui po-
pulorum sortes moderantur ipsique populi
se magis magisque pervadi sinant animo
illo a quo uno vita, auctoritas, obsequium
scriptis inter gentes pactionibus manant;

animo nempe per intimum acremque redenda rationis sensum statuta humana di metente atque pensitante iuxta sanctas firmissimasque divini iuris normas: fame illa atque siti iustitiae, quam inter beatitudines Christus in Montis oratione retulit, habetque tamquam naturae positum fundamentum veri rectique officia; amore scilicet universo illo, compendio atque termino ultimo species et formae christiano animo conceptae; ideoque pontem quoque insti tudente vel in illos qui bono carent cum eadem nostra fide participandi.

Atqui si huiusmodi principia ad ea quae anno hoc MCMXXXIX facta sunt referamus, nemo non videt quomodo ad haec ventum sit, atque facile sibi persuasum habebit a tot tantisque diverticulis flexionibusque ad rectum cursum esse tandem aliquando re cedendum, si volumus ne bellum ab ortu ad occasum iam flagrans et in dies longius latiusque profluere minitans, quae a Christiana humanitate parta fuere et adhuc su persunt, funditus in humani generis exi tum evertat; verum ut haec crastino diei prospectum significant, atque iter aperiant novae gentium universitati, sacrificio re creatae, et cum supremis morum Christianis legibus omnino compositae, ad quas Supremus earum nunc Interpres unus ite rum homines revocabat.

P.

Qui ex deteriore factus est melior, caveat de acceptis virtutibus extollit, ne gravius per vanam gloriam corrut, quam prius per lapsum vitiorum iacebat.

ISIDORUS.

Nulla ingenia tam prona ad invidiam sunt, quam eorum qui ingenium ac fortunam suam animis non aequant, quia virtutem et alienum bonum oderunt.

T. LIVIUS.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

De coniunctione quae plura verba regit

Coniunctio quae plures propositiones subiectas regit semel tantum exprimi solet.

EXEMPLA: *Posteaquam* victoria constituta est ab armisque recessimus, erat Roscius Romae frequens (CIC., *Rosc. Am.*, VI, 16)

— *Antequam opprimit* lux, maioraque hostium agmina obsepiunt iter, per hos qui inordinati atque incompositi obstrepunt portis, erumpamus (TIT. LIV., XXII, 50)

— *Quum inambularem* in xysto et essem otiosus domi, ad me Brutus, ut consueverat, cum Pomponio venerat (CIC., *Brut.*, 3). — Hamilcar, *postquam* mare transiit in Hispaniamque venit, magnas res secunda gessit fortuna (CORN. NEP.)

— Si quidpiam nacti sumus fortuiti boni aut depulimus mali, Deo gratias agimus (CIC.) — Epaminondas, *quum* vicisset Lacedaemonios apud Mantineam atque ipse gravi vulnere examinari se videret, quaequivit salvusne esset clipeus (CIC.) — *Quum* patriam Biantis cepisset hostis ceterique cives multa e suis rebus secum asportarent, admonitus a quodam ut idem ipse faceret: «Ego vero, inquit, omnia tecum porto» (VAL.) — Si te amicus tuus moriens rogaverit ut hereditatem reddas suae filiae, nec usquam id scripserit nec cuiquam dixerit, quid facies? (CIC.) — *Quum* quaestor in Sicilia fuisse, iudices, itaque ex ea provincia decessisset ut Siculis omnibus iucundam diuturnamque memoriam quaesturae nominisque mei relinquem, factum est uti cum summum in veteribus patronis multis, tum nonnullum etiam in me praesidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur (CIC., *Div. in Q. Caecil.*, I) — *Quum*, Bysantio expugnato, Pausanias ce-

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Decembr. MCMXXXIX.

pisset complures Persarum nobiles atque in hic nonnullos regis propinquos, hos clam Xerxi remisit (CORN. NEP.) — *Quum* tantis esset opibus, ut etiam invitatis imperare posset, tantum autem haberet amorem omnium Siculorum, ut nullo recusante regnum obtineret, maluit Timoleon se diligi quam metui (CORN. NEP.).

De adiectivo numerali subauditio

Numeralia latina non explicantur, nisi numero peculiaris vis inest.

EXEMPLA: Ferunt duas potentissimas urbes, Carthaginem et Numantiam, ab eodem Scipione esse deletas (CIC.) — Epicurus levationem aegritudinis in duabus rebus ponit: avocatione a cogitanda molestia et revocatione ad contemplandas voluptates (CIC.) — Diversis duobus vitiis, avaritia et luxuria, civitas laborat (TIT. LIV.) — Ostendam quantum salutis communis intersit duos consules in republica esse (CIC.) — Uno bello pro patria cadentes duos Scipiones Hispania vident (CIC.) — De tribus unum est optandum: aut facere iniuriam, nec accipere; aut et facere et accipere; aut neutrum (CIC.) — Om nino fortis animus duabus rebus maxime cernitur (CIC.) — Iniustitiae genera duo sunt: unum eorum qui inferunt, alterum eorum qui ab iis quibus infertur, si possint, non propulsant iniuriam (CIC.) — Idem quum duo faciunt, non tamen est idem (PUB. SYR.) — Duas turmas sociorum Latini nominis circumequitare moenia atque explorare omnia iubet (TIT. LIV.) — Ad duo festinans, neutrum bene peregeris (PUB. SYR.) — Crassum Sul picius volebat imitari, Cotta malebat Antonium; sed ab hoc vis aberat Antonii, Crassi ab illo lepos: istis, quum summi essent oratores, duae res maxime, altera alteri defuit (CIC.) — Caesar millia passuum decem novem murum in altitudinem pedum sedecim fossamque perducit (CAES.)

— Duabus partibus doceo te amplius fru-

menti abstulisse quam populo Romano misisse (CIC.).

De constructione praedicati

Latine omittuntur voces quae substantivum sic dictum «attributum» praecedunt.

EXEMPLA: Nos reliquit (ut) heredes (PLIN.) — Antonius invictus est in Sidi cinos, vexavit Puteolanos, quod C. Cassius et Brutus (ut) patronos adoptassent (CIC.) — (Ut) supplices aliqui veniunt miseri et calamitosi (CIC., *Mur.*, XXX, 62)

— His tantis in rebus tantisque in periculis, est tuum, M. Cato, qui non mihi, non tibi, sed patriae natus esse videaris, videre quid agatur, retinere (ut) adiutorum, defensorem, socium in re publica consulem non cupidum, consulem, quod maxime tempus hoc postulat, fortuna constitutum ad amplexandum otium, scientia ad bellum gerendum, animo et usu ad quod velis negotium (CIC., *Mur.*, XXXVIII, 83) — (Ut) viros bonos eos qui habentur numeremus (CIC., *Am.*, VI, 21) — Post, ubi nona suas aurora ostenderit ortus, (ut) inferias Orphei Lethaea papavera mittes (VERG., *Georg.*, IV, 544) — Si cognatos, nullo natura labore quos tibi dat, retinere velis servareque (ut) amicos, in felix operam perdas (HOR., *Sat.*, I, 89) — Crassum habeo (ut) generum, ait Scaevola (LUCIL.) — Epaminondas habuit *obtrectatorem* Menelidem quemdam, indidem (CORN. NEP.) — Multae illam frustra Tyrrhenia per oppida matres optavere nurum (VERG., *Aen.*, XI, 579) — Alma, tibi hanc, nemorum cultrix, Latonia virgo, ipse pater *famulam* voveo (VERG., *Aen.*, XI, 557) — Accipe, testor, diva, tuam, quae nunc dubiis committitur auris (VERG., *Aen.*, XI, 559).

S. Leonardi in Helvetia.

I. JSS.

Non sanguinis nectitudo, sed virtutis cognitio proximos facit,

S. AMBROSIUS.

EPISTOLARUM COMMERCIIUM

De « Gruppenehe »

SILVIUS ROMANI JOSEPHO FORNARI S.

Interrogationi tuae humanissimae, qua ratione latine dicerem quod germanice *Gruppenehe*, gallice vero *Groupe-mariage* dicunt, libenter faciam satis. Id e linguae latinae recentioribus peritis alii appellarent « matrimonium commune »; alii « matrimonium congregativum » mailent, alii « gregale coniugium », vel etiam « gregarium, promiscuum », aliis prorsus « interconnubium ». Ecquis aptius, concinnius?

Haud raro mihi occurrit necessitas novis utriusque iuris institutis nomina cundendi; qua in re hanc mihi posui legem, ut hinc ab indole atque anima linguae latine non discederem, inde vero quam maxime rerum naturae adhaererem (cfr. m. *De norma iuris*, tum in praefatione, cum praesertim ubi de iure corporativo atque de internationali privato quae vocant). Hanc legem hic quoque esse omni studio servandam reor.

Rem autem si quaeras, haud facile invenies. Ferunt equidem « hoc coniugii genere una ex parte plures viros, ex altera plures feminas in Terra Ignis, in Hottentotia, in Buscimannorum terra, in Polynesia, in Australia copulatos vitam communem iniisse »: sed haec non constant apud omnes; constat id unum, voces quasdam apud tribus illas nondum excultas esse usurpatas ad varios cognationis gradus significandos.

Scilicet quidam cum Durkeim opinati sunt matrimonium non esse institutum naturae, sed inventum quoddam hominis ad certa temporum rerumque adiuncta accommodatum, ut ab eodem homine obliterari possit si aliud mutata adiuncta expostulent. Id vero alienum a scientia atque a rerum historia visum est; ideoque Bachofen rem perscrutatus animadvertis non-

nulos apud populos liberos hereditatem nancisci a matre; unde effinxit origine matrem fuisse familiae centrum et caput; antea vero non viguisse nisi sexuum permixtionem. Quae Bachofeniana somnia viros doctos non admodum commoverunt nisi hunc illum; e quibus Morgan americanus, qui quum compresisset apud insulas Hawai, in Australia, eodem nomine indicari patrem et patruum, matrem et amitam, filios et nepotes et consobrinos, conclusit ibidem nullo iuris morumve discriminis permisceri simul males et feminas, vigore videlicet promixuitatem quam appellant sexum; quam sententiam scientia veri nominis ulterius progressa plane explosit. Eam ut corrigerent quidam confugerunt ad *coniugia per stirpes*, effingentes initio, et dudum apud primivos, coniugia non inter singulos coiri, unum inter marem certum certamque feminam, sed certam inter unam consortionem atque aliam, ut viri omnes certae consortionis feminas omnes una simul alterius ducerent et adhiberent uxores, atque viri omnes alterius feminas prioris, nullo singulari coniugii discriminis intra eiusdem consortionis fines. Haec coniugia appellant germanice *Gruppenehe*, gallice vero *Mariage de groupe*, vel *Groupe-mariage*.

Sed id unquam usquam factum esse non constat; certo certius non evincitur ex argumento glottologico quod superius memoravimus; nam et apud nos iuniores, saltem in vicis, solent, venerationis ergo, seniores appellare *zio* (patruum, avunculum), licet nullo cognationi vinculo continet; et longum est hic alias explicaciones persequi. Eo minus ea res evincitur lege *leviratus*, qua frater viduam fratris uxorem ducere tenetur; id enim non *gruppenehe* sed individuam familiam evincit, ut nemo non videt. Ad rem belle Lemmonier A.: « *Le mariage de groupe, tout le mond en convient, n'est plus aujourd'hui pratiqué nulle part... Ce n'est encore et*

toujours qu'une hypothèse destinée à expliquer certaines manières de classifier les degrés de parenté... ».

Sed quia somniis quoque nomina dare placet, si huic figmento quod germanice *Gruppenehe* nuncupatur latinam dare appellationem velim, nullam reperiam aptiorem quam « *coniugium per stirpes* »; quippe cetera, quae superius recensui, non sat satis apte rei respondent. Neve quis doleat quod non possit res una voce significari; quia si complura e novis nostris inventis nonnisi plurium vocum compositione possint latine appellari, quanto magis id fieri in vanis somniis figurantisque denominandis?

Ceterum num recte de nomine senserim viderint sapientiores; mihi satis est rem tenuisse; scilicet Ennius me monet: Rem tene, verba sequentur! Tu vero, in latinitate vere magister, vale, atque strenue stude, ne lingua maiorum ignavia nepotum barbarescat.

ROMA SACRA

SS. D. N. Pii PP. XII litterae encyclicaes ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentibus. *

Quapropter ea educationis ratio, quae sacra christiana familiae saepa, divinae legis praesidio tuta, sarta tectaque non servaverit, quae eorum fundamenta subverterit, atque iter ad Christum adulescentibus praecloserit, ne *aquas in gaudio hauriant de fontibus Salvatoris*,¹⁵ quae denique ab eodem Christo et ab Ecclesia abalienationem praedicaverit, quasi in nationem vel in aliquem civium ordinem fidelitatis indicem, ea procul dubio in semetipsam damnationis poenam animadverterit, eritque statu tempore

* Cfr. fasc. sup. mens. Decemb. MCMXXIX.

¹⁵ Cf. Is., XII, 3.

ineluctabilem sententiae veritatem experta sacramentis admonentis: *Recedentes a Te in terra scribentur*.¹⁶

Opinatio illa, quae imperium paene infinitum rei publicae attribuit, non internae tantum nationum vitae et auctioribus componendis incrementis perniciosus error evadit, sed mutuis etiam populorum rationibus detrimentum affert; quandoquidem unitatem illam infringit, qua civitates universae inter se contineantur oportet, gentium iura vi firmitateque exuit, atque, viam sternens ad aliena violanda iura, pacate una simul tranquilleque vivere per difficile reddit. Ius gentium a divino iure vindicare, ut in rei publicae moderatorum arbitrio veluti fundamento unice innitatur, nihil aliud significat quam illum ipsum ex honoris sui suaeque firmitatis solo detrudere, idemque nimio concitatoque privati publicique commodi studio permittere, quod non alio contendit, nisi ut propria iura efferat, aliena denegat.

« Asservandum utique est, temporis decursu ob graviter immutata rerum adiuncta — quae, dum pactio transigebatur, nec prospiciebantur, nec prospici quidem forsitan poterant — aut integras conventiones, aut quasdam earumdem partes alteri ex adstipulantibus iniustas quandoque evadere vel videri posse, vel saltem nimio graviores evenire, vel denique eiusmodi fieri ut ad rem deduci nequeant. Quod si contingat, procul dubio necesse est tempestive ad sinceram honestamque disceptationem confugere, ut pactio vel oportunas immutationes accipiat, vel iterum omnino componatur. Sed contra, pacta conventa aequa ac res fluxas et caducas habere, sibique tacitam facultatem tribuere, quotiescumque propria utilitas id postulare videtur, eadem infringendi sua sponte, inconsulto nempe vel posthabito altero paciente, hoc pro certo debita mutuaque fide civitates exuit; atque adeo naturae ordo funditus subruitur, ac populi nationesque quasi praeruptis immensisque voraginibus invicem segregantur».

Atque pergit: « Hodie trepidi omnes malorum cumulum considerant, quem et errores simulaeque normae, de quibus explicando diximus, et ea, quae inde consecuta sunt, miserrime coegerunt. Falsae ac superbae infinitae progressio-

¹⁶ IER., XVII, 13.

nis species, quae multorum illiciebant animos, evanuerunt; iamque ingruentia ruinarum dis crimina nondum experrectos e somno ex per gefacere videntur, quasi illâ iteratâ sacri vatis sententiâ *Surdi, audite, et caeci, intuemini.*¹⁷ Quae externo ordine composita videbantur, reapse nihil aliud erant, nisi omnia invadens rerum perturbatio: perturbationem dicimus, quae ipsa morum praecepta attigerat, quum eadem, a divinae legis maiestate avulsa, omnem infecissent humanae navitatis campum. At iam non ad praeterita, sed ad futura illa tempora mentis oculos convertamus, quae ut ii pollicentur, a quibus populorum sors ac fortuna pendet — praesentibus cruentisque conflictationibus tandem aliquando pacatis — novam rerum rationumque temperationem afferent, iustitiae prosperitatisque fundamento suffultam. Verumtamen numquid alia reapse et, quod praecipuum est, melior atque felicior orietur aetas? Ac nova pacis conventa, novaque inter nationes constituta ordinatio, quae huius belli finem consequentur, num iustitia aequitateque erga omnes ac redintegranti paciferoque spiritu conformabuntur, vel potius veteres recentesque errores luctuose repeat? Vanum profecto est ac fallax, quod experiendo comprobatur, e belli solummodo conflagratione ex eiusdemque exitu novum sperare ordinem. Dies, quo victoria affulget, ei utique, qui eam ad se rapuit, triumphum affert; attamen illius horae momentum, dum iustitiae angelus cum violentiae daemone contendit, non discriminare caret. Siquidem nimio saepius victoris animus obdurescit; eidemque temperantia et sagax longeque prospiciens prudentia infirmitas animique debilitas videtur. Ac praeterea popularium animorum concitatio, quam tot tantaeque factae iactrae tolerataeque acerbitates exacerbunt, eorum quoque oculos saepenumero quadam caligine obtendere vide tur, qui decernendarum rerum rationem in se recipient: eosdemque paene iubet aures habere clausas admonenti humanitatis aequitatisque voci, quae immani illo clamore opprimitur ac restinguitur: *Vae victis!* Quamobrem si in hisce rerum adiunctis consilia ineantur, exortaeque quaestiones dijudicentur, id contingere potest ut non nisi iniustitiae facinora habeantur fucata iustitiae specie. Non ex externis igitur rebus,

¹⁷ Is., XLII, 18.

non ex gladio, qui pacis condiciones imponere, non pacem gignere potest, salus civitatibus ori tur. Vires virtutesque, quae faciem terrae re novent, ex animorum praecordiis proficiscuntur. Novus rerum ordo, qui nationum vitam moderetur, mutuasque earumdem necessitudines temperet, dirigat — quum aliquando immanta certamina saeva que atrociates con quieverint — non iam fluxis illis, quasi infidis mobilibusque arenis, suffulciatur normis, quas nimium invexerit ex arbitrio privatae publicae que utilitatis studium, sed inconcuso potius firmissimoque naturalis iuris divinaeque revelationis fundamento subnixus consistat. Indidem enim legislator illius aequilibritatis rationes illamque suscepti officii conscientiam ac prudentiam hauriat, quibus praetermissis, facile profecto est statutos terminos non agnoscere, qui legitimum ab iniusto potestatis usum discernant. Hoc tantum agendi modo latae ab eo sententiae intima firmitudine, nobili dignitate religionisque sanctione fruuntur; non vero immoderatae sui cuiusque commodi affectationi animorumque cupidinibus inservient. Etenim si mala, quibus hodie hominum genus laborat, ex inordinatae etiam scatent rei oeconomiae perturbatione, itemque ex concito illo certamine, quo ad magis aequam contenditur bonorum assignationem, quae quidem mortalibus Deus diligitus est ut se sustentent seseque ad civilem progressionem provehant; at certissime omnino patet eorumdem malorum radicem altiore esse, quippe quae ad religionis fidem et ad initas in ordine morum opiniones susceptasque normas pertineat, quae profecto ea de causa corruptae ac pessumdatae sint, quod populi ab honestatis principiis et ab christiana fidei christianaque doctrinae unitate, pedetemptim digrediantur, quam olim indefatigabilis ac benefica Ecclesiae opera provexerat. Quamobrem nova hominum institutio ac reformatio, ut suos queat edere fructus, religionis praesertim spiritu imbuatur oportet; a divino igitur Redemptore, veluti ab necessario capite, oriatur, integra iustitia actuose temperetur, caritate denique consummetur ac perficiatur. Hanc vero efflere animorum renovationem, cuius rationes cum mutatis temporum condicionibus mutatisque hominum necessitatibus exaequari debent, potissimum materni Ecclesiae muneris officium est. Enimvero, quam eidem divinus Conditor commisit, Evan-

gelii praedicatio, qua veritatis, iustitiae caritatisque praecepta hominibus traduntur, itemque studium eo contendens ut eadem praecepta firmas in animis et altas radices agant, haec quidem tam apta ad assequendam pacem, tam nobilis ac frugifera opera est, ut nihil aptius ac nobilius, nihil fructuosius haberi possit».

Intimo solacio caelestique gaudio perfundi se Pontifex profitetur, atque cotidie summas Deo optimo persolvere grates, dum in omnibus catholici terrarum orbis regionibus praeclara ac luculentissima exempla cernere fas est incensi illius christiani studii, quod ea omnia, quae nostra haec aetas deposita, animose aggreditur, quodque nobili nisu et propriam cuiusque adipiscendam sanctimoniam curat — quod pri mum ac praecipuum est — et, ad augenda divini regni incrementa, apostolatus incep ta atque opera provehit. Memorat in hisce habitos passim Eucharisticos Conventus, atque adiutricem laicorum hominum operam qui in Catholicae Actionis ordinibus ad sui officii suique munieris conscientiam actuose informantur, ita quidem ut sacerdotum opera, impar saepen merio ac praepedita, feliciter ab iis substituatur atque compleatur. «Apostolicus hic labor, ex Ecclesiae afflatu ac normis exantatus, ea ratione laicos homines quasi Christi administratos consecrat, quam S. Augustinus luculenter explicat: *Quum... auditis, fratres, Dominum dicentem: Ubi ego sum, ibi et minister meus erit, nolite tantummodo bonos Episcopos et clericos cogitare.* Etiam vos pro modo vestro ministrare Christo, bene vivendo, eleemosynas faciendo, nomen doctrinamque eius, quibus potueritis praedicando, ut unusquisque etiam pater familias hoc nomine agnoscat paternum affectum suae familiae se debere. Pro Christo et pro via aeterna suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolen tiam, exerceat disciplinam; ita in domo sua ecclesiasticum et quodammodo episcopale implebit officium, ministrans Christo, ut in aeternum sit cum ipso». ¹⁸

Ab hac quidem actione argumentum Pius XII sumit ad enucleanda bona quae hominum societati obvienta sint, si ubique gentium Ecclesiae, iustitiae caritatisque magistrae, libera illa agendi facultas tribuatur, cuius ex divino

¹⁸ In Ev. Ioa., tract. 51, n. 13.

mandato ius eidem est indubium ac sacrosanctum. Neve quis dicat leges, quibus Christianorum vita regitur ac genuinae germanaeque humanitatis praecepta sibi invicem obstar; communi, e contra, mutuoque praesidio inter se adiuvant. Atqui Christianae Ecclesiae opera magis in praesens necessaria videtur quam unquam alias; quandoquidem experiendo edocemur externas solummodo rationes, humana praeidia atque ea omnia, quae politica periclitatur disciplina, gravissimis malis quibus homines afficiantur, efficacia non posse lenimenta praebere. «Haud pauci igitur, quum fractos neverint dolore summo hominum nisu, eo spectantes ut tempestates compescant atque coercent, quae civilem cultum humanitatemque subvertere contendant, oculos ex perrecta spe ad Ecclesiam, veritatis caritatisque arcem, et ad hanc Beati Petri Cathedram erigunt, unde intellegunt eam restitui posse religionis moralisque disciplinae unitatem, quae superiore aetate mutuas populorum necessitudines tutas ac pacatas consistere iusserit. Ad quam quidem unitatem tot homines, a quibus nationum fortuna pendet, incenso respiciunt desiderio, quum continenter earum rerum fal laciam experiantur, quibus tantopere olim confisi erant; unitatem dicimus, quam impensis votis studiisque innumera Nostrorum filiorum agmina expetunt, qui *Deum pacis et dilectionis*¹⁹ cotidie comprecantur; unitatem denique, quam non pauci nobiles animi, a Nobis seruanti, praestolantur, qui quidem quum esuriant ac sitiunt iustitiam et pacem, ad Petrianam Sedem oculos convertunt, ab eaque consilium, lucem opperuntur. Ii siquidem Catholicae Ecclesiae inconcussam agnoscent profitendae fidei vitaecque christianis praeceptis componendae firmitudinem per viginti paene saecula com probatam; itemque arctissimam agnoscent unitatem ecclesiasticae hierarchiae, quae, Apostolorum Principis successori obstricta, evangelicae doctrinae veritate mentes actuose collustrat, homines ad morum sanctitudinem dirigit, atque dum omnibus materno animo indulget, stat tamen impavida vel acerrimos cruciatu ipsum quemque martyrium oppetens, cum hisce verbis omnino rem decernere oportet: *Non licet!*».

Haec tamen Ecclesiae actio Christi doctrina

¹⁹ Cf. II Cor., XIII, 11.

que populorum quam singulorum hominum consilia moderatur, in quam maluerit partem leniter haec convertens; eo scilicet usque ut ea ipsa quae inferantur impedimenta, haec pro sua potestate in instrumenta mutet, quibus rerum eventus fingat atque hominum mentes voluntatemque liberam ad sua inflectat proposta».

Ad Deum igitur Eius in terris Vicarius omnes hortatur ut preces admoveant continuas, addita sui ipsius suarumque cupiditatum refrenatione, dignisque paenitentiae operibus susceptis. Ita enim illud in rem deducetur quod Divinus Magister praecipit sacroque Cordis sui testamento cavit: *ut omnes unum sint:*³⁵ «ut omnes videlicet in eiusdem fidei caritatisque consensu atque unitate vivant, unde perspiciant homines quid valeant quidve efficienter gignere possint cum peracta a Christo redemptio, tum constituta ab eo Ecclesiae opus et labor».

Postremo id vehementer cupiens ut Deus, *auctor pacis et amator*, Ecclesiae suae obtestationes benignus admittat, supernorum conciliatrix munera atque propensa voluntatis Suae testem, Pater amantissimus Apostolicam omnibus suam Benedictionem impertit.

ANNALES

Europaeum discrimen

De conflictatione illa, a mense Septembri superioris anni in Europa perdurante, nihil peculiari nota dignum recensendum est: certamen in aëre et in mari praesertim fit immutata vice et fortuna; in terra bellum in Finnia sola acerrime pugnatur, cuius cives victricibus armis longe maiori Russorum militum numero obsistunt. O utinam eorum virtuti fas sit successum iure meritum obtinere!

Eoque magis quod multi timent, ne Russi, Finnia domita, ad orientales Europae gentes se convertant. Ideo harum moderatores mutuo convenient ad rem praecavendam.

³⁵ IOAN., XVII, 21.

Vidimus sic Venetas ad colloquium venisse exterarum rerum Hungaricum et Italicum administrum, ad Romaniae autem fines Carolum, illius civitatis regem, et Iugoslavicae Principem rectorem et gubernatorem, Paulum. Ex hisce conventibus concordia Balcanicorum populorum confirmata et aucta fuisse nunciatur pro communia actione contra in casu positum Communistarum periculum, provisionibusque adhibendis ne Carpatica regio Finniae sortem aliquando latura esse possit.

Ex Oriente

Nova in Sinis reipublicae gubernatio constituta est, praeside Wang-Ching-Wei, qui proposuisse sibi nunciavit necessitudines cum Iaponia funditus instaurandi ad pacem inter duos populos restituendam. Fiat! Interim vero Iaponii ultra in Sinis procedunt, et quotidie fere novarum belli offensionum nuntia afferuntur.

POPLICOLA.

Domestica funera

Die x huius mensis Februarii pientissime, uti vixit, Romae quievit in Christo PIA FORNARI, Moderatoris commentarii nostri soror unica, quocum coniunctos dies agebat.

Almae Romae socios et lectores quotquot sunt enixe rogamus ut, familiae nostrae luctum participantes, piacularia animae desideratissimae nobiscum persolvere velint.

A. R.

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.


TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

ALMA ROMA

QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



VARIA

Arcendam esse invidiam, si quis auctoritate sua in Rempublicam boni quidpiam introducere queat.¹

Post captam a Gallis urbem eamdemque Camilli virtute recuperatam, desierant iam ulla contemni bella. Itaque quum Latini, Volsci, Hernici, Antiates, Hetruriaque omnis in armis essent, Senatus diis gratias agere, quod Camillus in magistratu esset; dictatores namque eum dicendum fuisse, si privatus esset. Sed quum foret tribunus militum consulari potestate, quinque illius collegae fateri regimen omnium rerum, ubi quid bellici terroris ingruat, in uno viro esse, sibique in animo destinatum Camillo submittere imperium, nec quidquam de sua maiestate detractum credere, quod maiestati eius viri concessissent. Camillus pro tanto collegarum obsequio ac talibus Senatus de se iudiciis gratias egit, annisurum se, ut conceptam tanto civitatis consensu de se opinionem constantem efficiat. Circumsederi urbem Romanam invidia et odio finitimorum; itaque pluribus exercitibus opus esse. Te igitur, P. Valeri, inquit, solum imperii cum legionibus adversus hostem duco. Te, Q. Servili, altero exercitu instructo paratoque, in urbe castra habere placet, intentum an sive Hetrusci, sive Latini, aut Hernici se moverint. Tertius exercitus ex Causoriis senioribusque scribatur a L. Quintio, qui urbi moenibusque praesidio sit. L. Horatius arma, tela, frumentum, quaeque belli alia tempora poscent, provideat. Te, Servi Cornelii, praesidem huius publici consilii, custodem religionum, comitiorum, legum, rerumque omnium urbanarum facimus. — Patres quum tribunos militum cernerent tam concordibus animis iunctos, ut parere iuxta atque imperare parati forent, optime de bello, pace universaque re publica sperare.

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: « De republica disputationes ex prima decade T. Livii » latine vertit H. BINDI.

Nobis vero ex hoc exemplo discere licet quantum rei publicae prodesse queat unus aliquis vir excellenti virtute praeditus, si ea tanta fuerit, ut omnem invidiam superare queat. Praeterea non posse cuiusquam virtutem tantam esse, quae multum rei publicae prosit, ubi obstant invidi illius conatus et gloriae. Evitandam igitur extinguendamque invidiam contra illos excitata iis qui patriae vehementer prodesse cupiunt.

Pro iudicibus mensarum elegantibus

MENSES ORDO QUADRAGESIMALI TEMPORE:

Lixulae, lycopersici esculenti suco conditae.

Crustula garo oblinita.

Barbatuli mulli frixi.

Ova in patella subusta.

Scribitulæ ex massa amygdalina.

Iocosa

TUCCIU in schola.

Magister alumnis: — Hodie de historia periculum facietis. Eia, scribite: « Quum Clodovaeus in Italiam descendit cum quadraginta millibus Gallorum... ».

TUCCIU interrumpens: — Est igitur nobis de historia naturali faciendum periculum?...

Magister de centauris sermonem habet.

TUCCIU: — Quaeso, quum centauri ex ventre laborarent, medicum an veterinarinarium consulebant?

Aenigmata

I

Flexile sum membrum, femori crus iungere na-
[tum.]

Vocalem fini subice, eamque brevem:
Urbs ego sum, fluctu Tyrrenum quam levat
[aequor:]
Est eadem sedes, quae fuit ante, mihi.

II


Sacrum sum signum, sub quo pugnabis. Abibit
litterula? Obstabo, quominus os tibi hiet.

FR. PALATA.

Ann. XXVII

Romae, mense Februario MCMXL

Fasc. II



ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXL est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad Iosephum FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

“ ALMA ROMA „,
AD PEDES PII XII P. M.

Kalendis Februario p. e. Commentarii huius nostri Moderator honore amplissimo donatus est Pium XII P. M. privatim invisendi. Qui humanissime ei obviam veniens, dexteram porrigena eumque invitans ut apud scriptorium suum assideret, extemplo eum interrogavit:

— Quid de latinitate, quid de « Alma Roma » nuncius es mihi?

— *Mala tempora currunt* - subridens alter respondit. Notum est enim simulac increpuerit belli tumultus, bonas artes conticescere. Revocavit inde quae damna ob recentes eventus manaverint ex Hispania, ex Polonia, ex civitatibus Danuvianis, ac recentissime ex ipsis Balticis, contenditque remedium, ut in ceteris, a Catholica Ecclesia et hac in re sperari fiderenter posse, a Roma scilicet, genuinae humanitatis, nempe Christianae, vere alma matre, ad quam gentes universi orbis in sacerdotium convertunt. Nonne commune quod requirimus eloquii vinculum facile, breveque annorum cursu, instauraretur, si in singulis Urbanis athenaeis cum philosophicarum theologicarumque disciplinarum lati-

nitatis iuberetur cursus, quem omnes discipuli sequi, cuius periculum facere demum tenerentur? Hic de rationali grammatica atque lexicographia maxime esse deberet, ita ut non scribere solum, sed loqui etiam concinne singuli valerent; concinne dicimus, nempe iuxta germanum Latinorum sermonem, non quidem sermonem latinum cuiusque gentis, ut plerumque nunc fit, sermoni aptatum. Qui latinitatis studia ex periculo facto magis gustare sensu ostenderint, ii ad altiora orationis habitus et coloris studia servandi essent, omnemque ad vim et materiem scientia et cognitione comprehendendam, ita ut in suam singuli regionem reversi, et ad disciplinam unice addicti in singulis seminariis scienter ac merito eam docere valituri essent.

Sedulo dicentem prosequebatur Pontifex et capitibus nutu ei assenti non semel visus est; deinde Ipse desiderium communis materni Latini sermonis vinculi protulit, exemplumque adduxit Hungarorum et Slovacorum, qui quum eos Germanica lingua alloqui vellet, maluerunt ut Latina ficeret. Eoque igitur magis, conclusit, curare necesse est ne ignis extinguatur; alere autemflammam praecipue vestrum est, qui tamdiu in hoc tamque naviter, tamque laudabiliter incumbitis, quibus itaque, tibi nempe « Almae Romae » Moderatori, iis qui tibi praesto sunt, sociisque omnibus amplissimam benedictionem ex animo impertimus.

Haec benevolentissimi colloquii summa, quod per dimidiā fere horae partem productum, novum Moderatori nostro animum addidit ad susceptum opus perseverendum, dum simul nos fore confidimus ut qui societatis nostrae sunt participes, Pontificia spe ac fiducia freti, arctius nobiscum iungantur.

A. R.

HISTORICAE NOTAE¹

De Romana Republica a Regibus exactis ad pugnam ad lacum Regillum.

Fines huius periodi desumuntur a traditione, quae refert copiose Tarquiniorum conatus ut Urbem recuperarent, quibus artibus quosque adversus Romam populos excitaverint, licet frustra prorsus.

Haec traditionis capita potiora:

Tres postremi reges non Romani fuerant, sed Etrusci: Tarquinius Priscus, qui primus ex Etruscis Romae regnavit, Servius Tullius, qui plebi multum favebat et consilium fuisse fertur distribuendi in duos magistratus imperium regium, et Tarquinius Superbus, qui tyrannidem quamdam instaurare conatus est, neglectis patribus, neglectis comitiis; ideoque depulsus.

Refert Livius (I, 57 sqq.), quum Tarquinius ob sideret Ardeam, mentionem forte inter epulas incidisse de honestate uxorum. Inde certamine accenso Collatinus negavit verbis opus esse: inviserent praesentes sua quoque mulieris ingenium. Cittatis equis Romam advolant, pergunt inde Collatiam « ubi Lucretiam — (Collatini uxorem) — haudquaquam ut regias nurus, quas in convivio luxuque cum aequalibus viderant tempus terentes, sed nocte sera deditam lanae inter lucubrantes ancillas in medio aedium sedentem inveniunt... Ibi Sextum Tarquinium mala lubido Lucretiae dehonestandae capit », et paucis post diebus noctu eam invincibili vi clam oppressit. Lucretia tanto malo moesta ad se accivit patrem virumque. Spurius Lucretius (pater) cum P. Valerio, Volesii filio, Collatinus cum L. Junio Bruto venit: Lucretia scelere patefacto atque clamans insontem animum suum esse; viderint ipsi quid infami illi

¹ Cfr. fasc. mens. Octobr. MCMXXXIX.

debeatur, sese cultro interfecit. « Conclamant vir paterque; Brutus, illis luctu occupatis, cultrum ex vulnere Lucretiae extractum, manantem cruento prece tenens: Per hunc, inquit, castissimum ante regiam iniuriam sanguinem iuro, vosque, dii, testes facio, me L. Tarquinium Superbum cum scelerata coniuge et omni libero rum stirpe, ferro, igni, quacumque dehinc vi possim, exacturum, nec alium quemquam regnare passurum »....

Duo itaque consules, Tarquinii expulsi, creati sunt Brutus et Collatinus, consulareque imperium non vitalicium, ut regium erat, sed annum factum est; omnia vero regum iura, omnia insignia primi consules tenuere; id modo cautum est, ne, si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur. Brutus prior, concedente collega, fasces habuit, populumque iurei rando adegit neminem Romae passurum regnare; deinde caedibus regis diminutum patrum numerum primoribus equestris gradus lectis ad trecentorum summam explevit; traditumque inde fertur ut in senatum vocarentur qui *patres* quique *conscripti* essent. Deinde quia quaedam publica sacra per ipsos reges factitata erant, ne cubi regum desiderium esset « regem sacrificium » creavit, et Tarquinium Collatinum collegam propter adfinitatem Tarquiniorum suspectum, coegerit consulatu se abdicare et civitate cedere, novumque sibi collegam P. Valerium comitiis centuriatis creavit. Bona denique regum plebi diripienda reliquit, agrum Marti consecravit, qui campus Martis dictus est.

Tarquinius sperabat nobiles adolescentes sibi redditum in Urbem esse comparatueros; sed frustra, nam eos Brutus securi percussit.

Tum Tarquinius apud finitimos populos socios sibi quaerit, contractisque Veientum atque Tarquinensium copis, bellum Romae intulit, sed P. Valerius prospere obstitit, Valerius ille qui ea tempe-

state in campo legem tulisse traditur « de provocatione ad populum »; quo bello Brutus cum Arunte, regis filio, conflixit atque commortuus est. P. Valerius, unus consul superstes, alterum per comitia eligendum curavit, qui fuit Spurius Lucretius. Tunc dicatum dicitur Capitolium.

Tarquinius nihil desperans, ad Porsennam confugit, Clusinorum regem (*Laërt. nuncupabant*), qui bello pro Tarquinii suscepto, quum ad Ianiculum venisset, procul a Tiberi, virtute unius Horatii Collitis arcet, qui, ponte a suis resciso, incolumis ad suos tranavit. At mox, en aliud inaudita virtutis exemplum. Mucius, quum ad interficiendum Porsennam hostium castra clam intrasset scribamque occidisset, quem regem esse existimaverat, dexteram manum altari impositam exsuri passus est dicens tales trecentos alios esse. Quibus vehementer commotus Porsenna de pace cum Romanis egit bellumque intermisit, acceptis obsidibus. Ex quibus Cloelia virgo, deceptis custodibus per Tiberim ad suos rediit; at redditia, a Porsenna honorifice fuit remissa una cum iis quos vellet secumferre ephebis obsidibus, atque statua in summa Sacra via a suis honestata est. Porsenna inde discedens Aricinos obsedit, sed est profligatus.

Tarquinius Latinos tandem excitat atque Sabinos. Latinos Aulus Postumius vincit, Sabini sub duce Atto Claudio (Appio Claudio) et cum quinque clientum millibus in amicitiam et civitatem, quam brevi quaesierunt, excepti sunt, agris etiam iis assignatis prope Fidenas; inde etiam Claudia tribus est adiecta et numerus tribuum ad viginti unam amplificatus. Quumque urbes latinae, excitante Tarquinio, non desisterent a lassessenda urbe, novum bellum exarsit supremumque certamen ad lacum Regillum pugnatum fuit. Latinos dicit Octavius Mamilius, Tusculi Laers, Tarquinii gener; Romanos autem A. Postumius dictator: clades innumera utrin-

que: Dioscuri victoriam Romanis et concessere et nuntiavere, ideoque iis templum dicatum.

Tarquinius tandem, post fractas Latino- rum opes, Cumis, quo se ad Aristodemum tyrannum contulerat, mortuus est, Romae P. Servilio A. Claudio consulibus.

(*Ad proximum numerum.*)

SILVIUS ROMANI.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

De verbo a quo pendet coniunctivus simil et infinitus.

In oratione indirecta, quum prior propositio coniunctivo, posterior infinitivo effertur, haec a nullo verbo expresso pendet: exprimitur solummodo verbum quod priorem regit.

EXEMPLA: Quin etiam Caesar, quum in obsidionis opere singulas legiones appellaret, et, si acerbius inopiam ferrent, se dimissurum oppugnationem diceret, universi ab eo ne id faceret *petebant*: sic se complures annos illo imperante meruisse, ut nullam ignominiam acciperent, nusquam infecta re discederent (CAES.) — Legati veniunt ad consulem et *orant* ne se in rebus tam trepidis deserat: quo enim se, repullos ab Romanis, ituros? (TIT. LIV.) — *Nuntiatum est* Simonidi ut prodiret: iuvenes stare ante ianuam duos quosdam qui eum magnopere evocarent (CIC.) — A multitudine *conclamatum est* L. Valerium et M. Horatium ad se mitterent, iis se datus responsum (TIT. LIV.) — Mittunt etiam vulneribus confecti ad dominos, qui *quaerant* quid velint; si satis iis factum sit, se velle decumbere (CIC.) — Itaque primum commotus insolita re, mirari eius consilium et quasi per amicitiam monere

¹ Cfr. fasc. sup.

« ne tam prava inciperet neu super fortunam animum gereret; non omnia omnibus cupienda esse; debere illi res suas satis placere » (SALL., *Iug.*, LXII) — Saepius eadem postulanti fertur *dixisse* « ne festinaret abire; satis mature illum cum filio suo consulatum petiturum » (SALL., *Ibid.*) — Postero die concilio convocato, *consolatus cohortatusque est* « ne se admodum animo demitterent, ne perturbarentur in commodo. Non virtute neque in acie vicisse Romanos, sed artificio quodam et scientia oppugnationis, cuius rei fuerint ipsi imperiti » (CAES., *Bel. gal.*, VII, 29).

Verba quaestio[n]is « unde » pro verbis quaestio[n]is « quo ».

Verba quaestio[n]is « unde » venuste locum tenent verborum quaestio[n]is « quo ».

EXEMPLA: Mihi ita auctores sunt amici, ut vos hinc *abducam* domum (PLAUT.) — Homo in urbem ab illis *deducitur* (CIC., *Inv.*, II, 4) — Plancius sperat posse fieri ut mecum in Italiam decedat (CIC., *Suppl.*, XXXV, 91) — In quem primum Troiani *egressi sunt* locum, Troia vocatur (TIT. LIV., I, 1) — Sacra, in ruina rerum nostrarum, alia terrae celavimus, alia *avecta* in finitimas urbes amovimus ab hostium oculis (TIT. LIV., V, 51-52) — Praefecti regii Datis et Artaphernes, classe ad Eubaeam appulsa, ad Atticam accesserunt, ac suas copias in campum Marathona *deduxerunt* (CORN. NEP., *Milt.*, 4) — Caput Asdrubalis in castra Annibalis *eiecit* (FRONT., II, 9, 2) — Scis me Athenas venisse pridie idus octobres, et navi *egressum* in Piraeum tuas ab Acasto nostro litteras accepisse (CIC., *Att.*, VII, 1) — *Abi* domum, abi cito et suspende te (TER., *Andr.*, I, 6) — Ad interpretem *detulit* aquilam se in somnis visum esse factum (CIC., *Div.*, II, 70) — Alii accipiunt imperia *disceduntque* ad suas quisque officiorum partes; alii offerunt se, si quo usus operaे sit (TIT. LIV.) — *Devenire* locos

laetos et amoena vireta (VERG.) — In proximas *dilapsi silvas*, inde domos *difuguerunt* (TIT. LIV.) — Immo *abeat* quovis gentium (TER., *Heaut.*, V, 1) — Lupus, Roman Esquiline porta ingressus, frequentissima parte urbis, in forum *decucurrerat*, et Tusco Vico per portam Collinam prope intactus evaserat (TIT. LIV.).

I. JSS.

SOLAMEN¹

Lacrimarum, nimio plus querule o, desine,
[frater,
humilis sed potius percutienti oscula fige
manui et Numen adora.

Quid enim sunt tenues queis premeris denique
[curae,
gemitus dum resonant multiplicanturque do-
[lores,
madet et sanguine tellus?

Ululatus miserandos viduae coniugis audi,
sine solamine flentes tot et aspice matres,
pueros patre carentes;

cruciatus reputa seminecis saepe relict,
profugorum pavitantes pecudum more catervas.
patriis finibus actas;

super aegros et egenos miserans lumina verte,
latebroso quatientem manicas carcere cerne, et
stolidis parce querelis.

Homo es, omnes cumulatos animo conde do-
[lores,
aliis te socia flentibus, et suspice Iesum
crucis in stipite fixum.

Brevis est heic labor; aeterna manent gaudia
[caelo;
mala perfer generose; tuus ad sidera moeror
eat ut cantus amoris.

HIRPINUS

Mense novembri a. 1939.

¹ Translatio libera carminis N. Tommaseo: *Conforto*.

Quantum homo annorum completere potest?

Vita humana quibus a natura finibus inclusa sit, versu illo admonemur librorum sacrorum: «Aetatis nostrae modus, ubi plurimum, septuaginta circumscriptitur annis, aut, si quid in nobis est roboris, annis octoginta definitur, quorum gloria in labribus doloribusque constat; fugax vero latabitur vitae spatium atque ipsi auferimur». Verumtamen omnibus temporibus fuerunt, qui hos vitae terminos egressi non modo centum annos vixerint, sed aliquanto amplius in terris migraverint. Concedatur sane non omnia memoriae prodita necessarie demonstrari posse, tamen satis restand exemplorum, quae quod in dubio ponantur, nihil est causae. Quem in numerum ascribimus illum ferrariae officinae operarium, qui spatium centum quattuordecim annorum emensus e vita decessit.

Philippus Scabonius (*Schabon*), de quo agitur, in vico Vielopola haud procul ab oppido Rybnica sito Kal. Ianuariis 1699 natus est.

Cuius proavus natione Hungarus quinto decimo saeculo cum familia in Silesiam superiorem discesserat et sub dominio Rybnicensi conserderat. Illum autem satis fuisse locupletem ex eo appareat, quod eius posteri aequa opulenti fuerunt. Pater tamen, sive quod nummos alicubi conditos amiserat, sive quia morte ademptus erat praematura, filiis Philippo et Valentino exiguum rem familiarem reliquit.

Philippus, qui maior erat natu, agrum adeptus immunem primo rustica fecit opera; deinde, cum comes Vengerscius, qui tum dominium Rybnicense possidebat, praediolum ab eo emisset, una cum fratre Valentino ad rem carbonariam accessit. Sic ambo multos per annos communi opera victum meruerunt, dum Philippus munere saltuarii ad se delato hoc vitae genus plane omisit.

Quo factum est, ut Valentinus solus suam artem continuaret atque etiam ex intervallo carboniariorum magister fieret. Hoc munere sexaginta septem ipsos annos fungebatur et, cum iam esset vir summae senectutis, nihilo minus labores ac pericula rei carbonariae coram subibat. Aestate autem anni 1808 accidit, ut in stremum carbonum accensam incideret et ustionibus gravibus acceptis triduo post animam efflaret annum gerens aetatis nonagesimum septimum. Filii et familiares eum vivum neque aegrotavisse neque umquam, id quod in illa regione mirum est, aquam vialem¹ bibisse affirmaverunt.

Philippus vero aetate longius proiectus est. Is, cum semper vir fuisset frugalissimus, prioribus temporibus in rebus vixit secundis; postea tamen et praecepiti possessionis venditione et multitudine librorum in egestatem deductus est. Cui necessitati «camera rei militaris agrique publici», in cuius possessionem emptione facta dominium Rybnicense venerat, tandem anno 1805 se interposuit concessitque, ut pension ei menstrua per fiscum officinae solveretur. Quid? quod ille senex exactae iam aetatis, quamquam valetudo supremis duobus annis tam infirma erat, ut nisi duobus innixus baculis ire non posset, tamen hanc pecuniam usque ad extremum aetatis praesens repetivit? Sensus autem aurium omni deminutione intactus remanserat; videndi sensus non multum hebetatus videbatur. Namque oculo altero ex aliquot annis caecus, tamen acies alterius oculi adeo non afflita erat, ut paucis etiam septimanis ante obitum nullo comitante baculis dumtaxat usus ponticulos transiret angustissimos. Sed, cum ad fiscum venisset ultimum, ut pensionem acciperet, magnam corporis debilitatem questus dissolutionem naturae desideravit, quae non multo post tricesimo primo die Decembri-

¹ Francogallice: *Eau de vie*; Germanice: *Branntwein*; Italice: *Acquavite*.

1813 secuta est. Ex quatuor feminis matrimonio secum iunctis duodecim liberos generat atque cognatio septuaginta sex capitum ad fererum stetit.

Philippi Scabonii vitam tanta diuturnitate insignem ab auctore quodam gravissimo adumbratam latine reddere nobis est visum. Cuius textum originalem deprompsimus ex libellis provincialibus Silesiae² anno 1814 Vratislaviae editis, ex vol. 59, pag. 296 ad 299.

Vratislaviae scr. mense Decembri 1939.

HANS LIS,
studiorum consiliarius.

DE NOSOCOMIIS

Saeculis XII et XIII, aetatis quam dicimus medianam, quum Franciscus et Bernardus, aliique insignes pietate viri floruerunt, nosocomiorum certa constitutio referenda est, locorum scilicet ubi humani corporis dolores adamussim curarentur. Quae quidem institutio nulla profecto esse antea potuit, dum ethnica religione et humanitate orbis viveret, cuius nulla caritatis lex erat aut verbum, qua non antea edocti homines sunt, quam Christus praeceptum edixerit: «Diliges proximum tuum sicut te ipsum». Neque primis Ecclesiae saeculis dum cruenta pro fide pugna martyres enecantur, tam uber caritatis fructus enasci poterat, quamvis et Diaconi essent et Diaconissae, qui et pauperum pariter et aegrotantium curam gererent in Ecclesia. Sed postquam Constantini edicto Christianam fidem profiteri licuit, seniorum orphorumque aegrotantium hospitia passim iam condi cooperunt ubique. Nam ab anno usque CCCLXXX conditam Romae nosocomii speciem a Fabiola matrona romana scimus,

Germanice: *Schlesische Provinzial Blätter*.

quod a Parthis ad ultimos usque Britannos innotuit. Apud Caesaream quoque in Capadoccia S. Basilius Magnus et ipse nosocomium condidit, quod imitati sunt et Ioannes Chrysostomus Bizantii et Hippone Augustinus.

Brevi immo et ministrantium infirmis sodalitia coiverunt: nam Honорius III imperator in lege quadam *parabolano* memorat Alexandrino Episcopo subiectos, homines morti obeundae paratos. Haec enim aedificia prope Episcoporum domus vel prope tempa surgebant, remque testabatur Julianus ipse Apostata ad Arsacium Galitiae praefectum de laudibus christianae caritatis scribens, ut ethnicos ad aemulationem adhortaretur; quare unaquaque in urbe nosocomia publico aere condi et ipse suadebat. Sed inter barbaricos incursus nosocomiorum notitiae deficiunt ad Carolum usque Magnum, qui saeculo IX ineunte legem condidit, ut in dioecesis omnibus nosocomiorum aedibus canonicus ex cathedrali capitulo praeasset. Saeculo XI, dum orbis universus Christi lege renascitur et Crucis bella geruntur et civitates liberae fundantur, nosocomia quoque, caritate innovata, late crescunt.

Statuta eorum et leges finem ostendunt et mentem, quibus conderentur. Regula princeps ea erat, quam equites hospitalis ordinis S. Ioannis Hierosolymitani profabantur, quem crucis signati milites ad peregrinos et aegrotos fovendos constituerant. Monastica vita hi vivebant, iuxta regulam S. Augustini. Iacobus Vitriensis, Acrensis urbis Episcopus, medio XIII saeculo, eorum vitam narrat. Sodalitates enim eorum perplures esse dicit, regulam vero Augustinianam omnino, vestes religiosas, vota evangelica de paupertate, castitate, obedientia, homines seiunctos a mulieribus, canonicas horas simul recitatas; praeterea Sacram Scripturam inter coenandum eos perlegere, ignorantes, infirmos divina docere, impatientes solari, a sacerdotibus sancta officia

in sacellis celebrari coram aegrotorum lectulis, eisque sacramenta omnia ministrari, mortuos denique ab iis sepeliri.

(Ad proximum numerum).

X.

ROMA SACRA

SS. D. N. Pii PP. XII litterae encyclicae ad Patriarchas, Primate, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentibus.*

Quae in sacra Liturgia concinit: *non eripit mortalia, qui regna dat caelestia*,²² non ea ad se rapere aliena iura contendit. Neque eodem humanas vires deprimit, sed ad magnanima et ad nobilissima quaeque erigit, strenuos effingendo animos, qui suae conscientiae officium non prodant. Quae tot populos ac gentes ad humaniorum cultum provexit, ea nunquam pro certo homines ab civili progressione remorata est, cuius splendore potius materna gaudet voluntate. Propositum, quo Ecclesia nititur, ab Angelis, super Incarnati Verbi cunabula volitantibus, mirando prorsus modo declaratum est, quum haec cecinere: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bona voluntatis*.²³ Hanc pacem, quam mundus dare non potest, divinus ipse Redemptor quasi sacram hereditatem hisce verbis discipulis tradidit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*;²⁴ atque adeo eam in numeri homines volenti animo Iesu Christi praecelta amplectentes, quae Dei proximorumque caritate quasi compendiaria lege continentur, quemadmodum consecuti sunt, ita in praesens consequuntur et in posterum consequentur. Ac per viginti paene saecula rerum gestarum historia, quam summus orator significanter fatetur *magistram vitae*²⁵ illam Sacrarum Litterarum veritatem praecclare demonstrat, eum neinde, qui Deo resistit, non habere pa-

cem;²⁶ solummodo enim Christus *lapis angularis*,²⁷ est, in quo uno cum civilis societas, tum singuli homines possunt salvi consistere. Iam vero, quum super hoc angulari lapide condita sit Ecclesia, nunquam procul dubio ab adversis potestatibus obrui poterit, numquam deprimi: *Portae inferi non praevalebunt*;²⁸ immo potius domestica externaque certamina ut eius vim virtutemque augent, ita ei novas victorias pariunt, novasque tribuunt coronas. Contra vero, aedificia quaelibet alia, quae in Iesu Christi doctrina veluti fundamento non innitantur, quasi in mobili arena exstructa vindicentur, atque adeo aliquando misere collabentur.²⁹

Litterarum pars postrema est de ea quae praeterelabitur hora.

«Dum has primas, — scribit Pontifex — vobis damus Encyclicas Litteras, non una de causa videtur Nobis in homines ingruere *hora tenebrarum*,³⁰ qua violentiae discordiaeque turbines veluti ex cruento calice innumeros luctus inumerosque dolores profundunt. Num igitur opus est ut vobis asseveremus paternum animum Nostrum, vehementi miseratione permotum, filiis omnibus adesse, iisque praesertim qui aerumnis insectationeque laborant? Quamvis enim populi, belli vortice submersi, adhuc *initia dolorum*³¹ forsitan solummodo perpetiantur, innumeratas tamen familias mors, vastitas, plangor, miseria occupant. Atque tot hominum crux, eorum etiam, qui, exercitus ordinibus non adsciti, misere occubuere, lugubre videtur gemitum ex dilecta praesertim ea natione extollere, ex Polonia dicimus, quae ob tenacem suam erga Ecclesiam fidelitatem, itemque ob praecleara in christianum tutandum civilemque cultum promerita, historiae fastis inscripta immortalitatique commendata, humanam fraternamque iure meritoque postulat ab omnibus commiserationem; ac Deiparae Virgini fidens *Christianorum auxilio*, optatum praestolatur diem, quo, ex iustitiae solidaeque pacis rationibus, sibi tandem aliquando liceat quasi e

²⁶ Cf. IOB, IX, 4.

²⁷ Eph., II, 20.

²⁸ MATTH., XVI, 18.

²⁹ Cf. MATTH., VII, 26-27.

³⁰ LUC., XXII, 53.

³¹ MATTH., XXIV, 8.

fluctibus sospiti emergere. Quod proxime factum est, quod hisce etiam fit diebus, Nostris tunc oculis quasi praemonstrata specie offebatur quam, nondum conciliationis spe omnino praecisa, nihil sane inexpertum, nihil inexploratum omisimus ut eâ ratione, quam sive apostolicum munus sive permissa Nobis instrumenta suaderent, prohiberemus ne ad vim et arma descenderetur, neve aditus omnes praeculerentur cum utriusque partis honore contentionem dirimendi. Quum enim persuasum haberemus, si ab altero concertantium vis adhibita esset, ab altero etiam arma adhibitum iri, apostolici officii Nostri christianaque caritatis partes esse duximus omnia conari si tam ab universa hominum consortione quam a christiana re atrocitates cohiberemus, quae omnium gentium bellum haud dubie essent consecutra; quamquam timendum Nobis erat ne patefacta a Nobis consilia ac proposita in haud rectam acciperentur partem. At quae monebamus, si obsequenter audita sunt, non iis tamen obtemperatum est. Ac dum Noster Pastoris animus, dolore ac sollicitudine affectus, rem graviter considerat, Nostros quasi ante oculos Boni Pastoris obversatur imago; a quo mutuatis verbis, ad universum hominum genus videtur Nobis merito gemitus ille iterandus: *si cognovisses ... quae ad pacem tibi! nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis!*³²

«In hac hominum societate, quae in praesens tantopere cum pace Christi in regno Christi discrepat, Ecclesia mater cum suis fidelibus eiusmodi exercetur molestiis, sacri quas eius annales, luctationibus utique rebusque adversis referti, minus saepe referunt. Sed qui in tam difficulti rerum cursu sibi in fide constant, ac forti et magno animo sunt, Christum Regem iidem sentiunt proprius nunquam adstare sibi quam discriminis tempore, quum fidelitas, videlicet re ipsa est praestanda. Ob tot afflorum suorum aerumnas cruciatusque moerore confecta, sed constantia virtuteque erecta quam e divinis derivat pollicitationibus, Christi Sponsa, tantas perpessa miserias, in impendentes sibi procellas contendit. Ea siquidem non dubitat quin e veritate, quam docet, itemque e caritate quam simul praecipit, in rem simul deducit, sincerae voluntatis hominibus incitamenta at-

³² LUC., XIX, 42.

que adiumenta oritura aliquando sint ad novum in populis ordinem ex iustitia caritateque restituendum, postquam mortales, erroris tandem iter pertaes, de tristibus invidiae violentiaeque fructibus degustaverint.

«Interea vero, Venerabiles Fratres, enitendum est ut omnes, at ii praesertim qui belli calamitatibus afflictantur, percipient christiane caritatis officium, praecipuum quidem Christi Regni cardinem, tantum abesse ut inane sit verbum, ut praesens etiam res sit et veritas. Infinitae propemodum hoc tempore opportunitates multiplicibus christiana caritatis inceptis praebentur. Quam ob rem maximopere confidimus universos filios Nostros, eos praecipue qui belli eximuntur asperitatibus, divinum imitatos Samaritanum, iis omnibus pro viribus esse consulturos qui, quod bello opprimuntur, non modo miserationis affectum, sed opem etiam peculiari iure mereantur.

«Catholica Ecclesia, civitas Dei, cuius rex veritas, cuius lex caritas, cuius modus aeternitas³³ cum christianas veritates docens, qualibet fallacia extenuationeque immunes, tum mortali animi impulsu in christiana caritatis operibus desudans, ipsos errorum et cupiditatum fluctus, veluti *beata pacis visio*, supereminet, ac dies operitur, in quibus omnium potentissima Christi Regis manus tumescentes comprimat tempestates atque dissensionis spiritus eiciat, qui eas concitaverint. Quantum in Nobis potestatis est ad diem illum maturandum quum pacis columba in hac terra, discidiorum obruta diluvio, ubi considat reperiet, totum illud Nos praetermissi non sumus, cum eorum civitatum moderatorum opera freti, qui, antequam belli conflagratio erumperet, immanem eiusmodi procellam nobili nisu repellere conati sunt, tum iis confisi, innumeris prorsus, qui, ex quavis natione et ex quovis civium ordine, non modo iustitiam, sed caritatem etiam ac misericordiam in clamant, tum denique potissimum omnipotenti Dei Numine fidentes, ad quem precatione hac cotidiana utimur: *In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas*.³⁴

«Infinita sane Deus potestate fruitur; quapropter non minus is prosperitatem fortunam-

³³ S. AUG., Ep. CXXXVIII ad Marcellinum, c. 3, n. 17.

³⁴ Ps. LVI, 2.

Tecum in divinissimo Corde Iesu coniunctissimus, quae ab Eo fidenti animo, speque bona expetis, ut, munificentissimus, largiatur, nostraequae litterarum reipublicae, immutata nativitate et gravitate, Te diutissime sospitet, quantum mea pollet caritas, oro et obsecror.

Caesena, Non. Febr. MCMXL rep. sal.

AURELIUS DE PAL.

ANNALES

Europaeum discrimen

Contentio inter Germanos et Anglogallos immutata perdurat: levia in terris certamina, acriora in mari, Germanorum praesertim opera, qui per aeronaves, subaqueas lntres igniferosque globos fluctibus libere commissos non hostium modo mercatorio praesertim navigio damna quotidie inferunt, sed et nationum medias sese gerentium, a quibus frustra fere quotidie reclamatum est.

Neque spes adhuc affulget fore ut res bona utriusque partis cum voluntate componi possit. Hinc namque Angli in id hoc bello intendere sese iterant, ut aequabilitas parvis simul et iuvenibus nationibus tribuatur cum firmissimis libertatis iuribus omniumque populorum studio, itemque ut rei oeconomiae in omni Europa restitutio fiat; ad quem finem assequendum gentes omnes consociandae sint. In earum nullam enim hoc bellum, addunt, pugnatur, sed in illos Germanicae reipublice moderatores, qui quum Angliam et Galliam ad perfrigenda arma coegerint ab ipsis insolenter destricta, Germanicam gentem suam nunc impellunt non ad operam cum ceteris consociandam, sed ad imperium super ceteras constituendum.

Belli exitum ex adverso Germanicae rei publicae administri promulgant a pacis rationibus manari debere a Germanis iussis ut cuiusque populi iura definiantur spatiumque vitae necessarium. Discrimen de-

nique Goobbelius iri heu! productum edixit, donec partium alterutra mergatur...

Ne interim haec sors heroicis Finnis contingat, qui omni vi suam terram contra Russorum superantem longissime numerum eorumque barbaram ferociam impavide et cum successu defendunt, sed auxiliis egere in dies iam iam denuntiant.

Felix Sabaudiae stirpis eventus

Die xxiv huius mens. Februarii augusta Sabaudici principis Italici regni heredis domus tertio virgulto feliciter honestata est ob natam puellulam, cui nomen est impositum Maria Gabriela. — Sit nomen omen!

POPICOLA.

LIBERA A PITTA CHIIS RESPONSA

SOCII PLURIBUS qui litteris humanissimis ad Moderatorem nostrum missis certiorem eum voluerunt sese recentis eius luctus ex animo participes fuisse, is amplissimas gratias habet, et hic refert.

Cl. v. Alex.... Byr., *Braddok*. — Quae misisti satis superque fuere.

Cl. v. Gi... Gig..., *Biturgiae*. — Recte animadvertisisti.

Cl. v. Ios.... Ber..., *Mediolani*. — Quo vir doctissimus post patriae infortunium migraverit, ignoramus prorsus.

Cl. v. Caes... Cost..., *Neapoli*. — Bombar! Aenobarba ille haud nugas agit!

Cl. v. Sig.... We..., *Bambergae*. — Mittas, tibique satisfacere satagemus.

Cl. v. Ios... Zap., *Matutiae*. — Quae iamdiu misisti carmina, ea obscuriora atque interdum etiam claudicantia inventa sunt.

A SECRETIS.

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.


TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

ALMA ROMA

QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

VARIA

Imperator talis eligendus, cui miles confidere possit.¹

Valerius Corvinus contra Samnites, novos populi Romani hostes, exercitum eduxerat; utque animos militum suorum contra eos confirmaret, non tantum cum iis levibus praeliis decertandum putavit antequam ad pugnam cum toto exercitu accederet, sed in concionem etiam prodiens vehementer hortatus est suos ut contemnerent hostes, propriae vero virtuti cum exercitus, tum ipsiusmet imperatoris confidarent. Quo loco observare licet, ex illius oratione, quae apud Livium exstat, Imperatorem semper eligendum esse talem, cui miles confidere possit. Inducit enim Livius Corvinum sic inter cetera loquentem: Tum etiam, cuius ductu auspicioque ineunda pugna sit, utrum qui audiendus, dumtaxat magnificus adhortator sit, verbis tantum ferox, operum militarium expers, an qui ipse tela tractare, praecedere ante signa, versari media in mole pugnae sciatur? Facta mea, non dicta vos milites sequi volo; nec disciplinam modo, sed exemplum etiam ame petere, qui hac dextra mihi tres Consulatus, summamque laudem peperi. — Haec Livius. Nos vero ex hisce facile colligimus qua ratione ad imperatoris militaris officium gradumque descendere oporteat; et illos qui ad hunc gradum alia ratione evehuntur, sive id fiat ambitione, sive casu et fortuna, temporis successu re ipsa percepturos, se hoc ipso plus oneris dedecorisque, quam honoris, laudis ac gloriae consequutos. Neque enim horum gradus homines ineptos illustrant, sed ipsi ab excellentibus virtute viris illustrantur.

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

Pro iudicibus mensarum elegantibus

PASCHALIUM ESCARUM ORDO:

Iusculum ex cremore hordei.

Piscis lupus elixus, duratorum ovorum frustis saeptus.

Cynarae scolymi, saporibus Iudaico more conditi.

Agnus assus cum lactuca agrestibus.

Libum Paschale.

locosa

TUCCIUSS de gramatice periculum facit.

Quaerit ab eo probationis arbiter:

— Quot sunt verborum modi?

TUCCIUSS: — Duo equidem: singularis et pluralis.

ARBITER: — Sed tecum melius reputa...

TUCCIUSS tacet. Instat alter:

— Vere nihil aliud scis?

TUCCIUSS: Quin immo optime scio ludere pila.

Anus quaedam, apud quam Tuccii mater filii ignorantiam et ignaviam conquesta fuerat, severa eum exprobrat:

— Te pudeat! Aetate tua ne numerare quidem didicisse!...

TUCCIUSS: — Id verum omnino non est. En: unus, duo, tres... in ore tuo tantum dentes tres superfuerunt!

Aenigmata

I

Vocalem produc! Cives tibi cernere fas est, nutu pendentes principis usque sui.

Corripe! Te coram tuus est pater et tua mater: in vivis dum sunt, gratus utrumque cole!

II

Ascia me tenuem est ligno fabricata tabellam.

Vocis principio littera praeficitur?

Ales adest, fidus nobis per frigora brumae, cuius deflesti, salse Catulle, necem.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo proposta his respondent: 1) *Genu, Genua;*
2) *Labarum, Labrum.*

Ann. XXVII

Romae, mense Martio MCMXL

Fasc. III

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXL est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque mittendum sive ad IOSEPHUM FORNARI doctorem. Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

PIUS XII ORBIS PACIFICATOR

ANNO I PONTIFICATUS EIUS EXEUNTE

Undique diluvii dum tellus mergitur undis,

Iris in imbrifero paret amica polo.

Ore columba ferens oleae Noëtica ramum,
ultrices pluvias vim posuisse monet.


Protinus arridet, segetum florumque lepore,
conciliata Deo foedere terra novo.

Diluvio rursus perit heu, sed sanguinis orbis,
omnia iura, nefas!, posthabuisse reus.

Quis poterit populis odio flagrantibus, inter
armorum crepitum ferre salutis opem?

En iterum fulget divinam desuper Arcam,
quae tumidas saecli navigat, Iris, aquas;
et pariter pennis se librans inde columba
in populos tendit nuncia pacis iter.

Maxime Christiadum Pater, ad te lumina vertit
gens humana iacens auxilioque vocat,



*barbariae rursus ne dira nocte prematur,
ne pereat penitus sanguine mersa suo.
Paciferum generis te nomen clamat aviti,
paciferum praefert te quoque stemma patrum.
Nunc Pius, insigni pollens pietate, vocaris,
Principis et pacis sceptrum vicesque geris.
Scilicet auspiciis conspirant omnia faustis:
stemma, genus, nomen: Pacificator eris!*

HIRPINUS.

Quid his temporibus vitandum sit latine scribentibus

Qui quondam gymnasii cursum absolvunt, admirati sane sunt longissimas illas orationes obliquas iam in primo libro belli Gallici obvias et summa arte compositas, quarum notissima est: « Ius esse belli, ut qui vicissent, iis quos vicissent, quemadmodum vellent, imperarent... » (c. 36). Et si nunc illis pristinis gymnasii alumnis occasio data est latine scribendi, fortasse eos cupiditas subit Caesaris morem sequendi et similia artifia procreandi. Admiramus orationes eas et nos, at minime putamus imitandas, sicut praedicamus brevitatem Taciteam, nec tamen cuiquam commendamus aemulandam. Longiores enim orationes indirectae et nimia brevitas obscuritatem quandam pae se ferunt, quam vix sollertia scriptores mitigare et variis orationis lenociniis adhibitis compensare valent. Verum enim vero si quis e mediocribus scriptoribus artem Caesaris aut Taciti ambitione affectet, facile nau-seam moveat lectoribus obscura et impedita extricare fugientibus.

Uberiores et iustos fines egredientes orationes obliquas fingere non est pecu-

liaris quaedam nota linguae Latinae, sed propria consuetudo — ne dicam, libido — aliquot historicorum, imprimis Caesaris et Livii. Quem scribendi modum si quis fastidit et orationes rectas indirectis praefert, nequaquam peccat in naturam priscae Latinitatis, sed commodo legentium inservit non mediocriter. Est enim oratio recta semper planior ad intelligendum quam indirecta. In illa enim praeter pronomina tertiae personae occurunt etiam pronomina personarum primae et secundae, in hac autem adeo praevalent pronomina tertiae personae, ut saepius haereant legentes, quis hac vel illa pronominis forma (eius, ei, se, sibi, suus...) notetur. Etiam accusativi cum infinitivo identidem usurpati nescio quo modo infuscant elocutionis tenorem. Si autem — id quod plerumque fit — oratio obliqua a tempore praeterito pendet, enuntiata secundaria, etsi eorum ratio syntactica diversissima est, induunt paene omnia coniunctivos imperfecti aut plusquamperfecti, quod et ipsum aliquid interdum affert obscuritatis. Tanta autem multitudo formarum eiusdem generis, immo saepe eiusdem terminationis fastidium ciet lectoribus varietatis studiosis. Hoc non ignorabant Caesar et Livius. Quamobrem ne eadem specie formarum

grammaticarum identidem recurrentium lassent legentes, in longioribus orationibus subito transeunt in coniunctivos praesentis et perfecti et in extrema parte redeunt ad coniunctivos lege grammatica postulatos. Exempla complura huius generis exhibit iam I liber belli Gallici.

Commodiores esse orationibus indirectis rectas iam intellexit doctus ille monachus saeculi p. Chr. n. xiv Maximus Planudes, qui cum Caesaris bellum Gallicum Graece transferendum suscepisset, omnes prolixiores orationes obliquas in directas mutavit. Num quis e recentioribus Caesaris interpretibus eius morem secutus sit, nescio; si est secutus, certe perspicuitati stili et commodo legantium apte inservivit.

Nec minus abstinere velimus eos, qui nunc latine scribunt, longis periodis ad severas normas compositis, ubi sese ex-cipiunt varia enuntiata secundaria et participia cum coniuncta tum absoluta ab se invicem pendentia et symmetriae ratione habita ita disposita, ut — quatenus fieri possit — apodosis longitudine aequet protasim et exitus cadat numerose. Huiusmodi periodis fingendis imprimis Cicero et Livius oblectabantur. E periodis Luvianis in grammaticis velut norma omnibus numeris ac partibus absoluta proponitur: I. I. c. IV: « Numitor inter primum tumultum hostes invasisse urbem atque adortos regiam dictitans, cum pubem Albanam in arcem praesidio armisque obtinendam avocasset: postquam iuvenes perpetrata caede pergere ad se gratulantes vidit, exemplo advoco concilio scelera in se fratri, originem nepotum, ut geniti, ut educati, ut cogniti essent, caedem deinceps tyranni seque eius auctorem ostendit ».

Ne haec quidem prolixos verborum ambitus construendi ratio est insita proprietas linguae Latinae: erant iam antiquitus scriptores — velut Plinius Minor et Seneca — qui eam aversarentur et tamen

laudem ac plausum lectorum assequerentur. Et eorum genus dicendi potius commendandum est nostrae aetati.

Antiquis temporibus ingenui Romani omnia sordidiora negotia — hic etiam puerorum institutionem et artem medicam referebant — servis demandabant, ita ut se totos dedere possent officiis forensibus obeundis et litteris colendis. Accedit, quod tunc longe pauciora opera edebantur quam nunc. Facile igitur otiosi litterarum amici se ingurgitabant in periodos Luvianas easque cum voluptate legebant ac relegebant. At prorsus alia est condicio nostra. Nostrum unusquisque — etiam si locupletior sit — suo quiske quaestuoso munere fungitur, quo suam suorumque vitam sustinet. Qua re fit, ut nonnisi subsicivas horas impendere possit litteris animi oblectandi causa tractandis. Tunc autem paene obrui-tur et ephemeredibus et parvis libellis et grandibus operibus, quae et oratione soluta et versibus indefessa prela omnium cultiorum gentium quotidie fundunt. Et ab homine ita occupato postules, ut sesquipedalibus iisdemque impeditis enuntiationibus enodandis et enucleandis vacet velut aenigmatis solvendis? Adde, quod antiqui Romani scientiam linguae Latinae una cum lacte materno suixerunt, nos autem solo studio acquisivimus, ita ut nobis in succum et sanguinem — ut aiunt — non per venerit. Hinc perspicuitati potius consulat, qui latine nobis scribit.

Imprimis longi verborum ambitus vitandi sunt ei, qui textum componit publice coram audientibus recitandum. Legentes enim iterum atque iterum oculos referre possumus ad initium periodi, ut summam eius memoria comprehendamus; audientes si quid nos praetervolavit non bene intellectum, auribus revocare id nequimus; ubi autem initium non intelleximus, non facile intelligimus ulteriora. Nec dubitamus, quin ipse Cicero, cum publice verba faceret, brevioribus uti sententiis, ubi vero oratio-

nem litteris consignaret, tum demum singula membra in ampliorem verborum circuitum coagentare solitus sit, ut parataxis — quam dicunt grammatici — locum faceret hypotaxi. Qui autem nunc Ciceronem aut Livium in linguis vernacularis convertunt, perplexas periodos in bina vel terna enunciata coordinata dissolvunt, quoniam artificiosos verborum ambitus conformare abhorret ab ingenio linguarum recentiorum.

Nec tamen omnino usum periodorum dissuadere nobis in animo est. Caute adhibitae et eleganter politae haud dedecent brevia scripta solemnia, quibus — ut exemplum afferamus — sacra semisaecularia aut saecularia celebrantur, aedes divino cultui aut humanioribus studiis dedicatae inaugurantur, viris de litteris bene meritis honoris causa doctoris dignitas confertur. Talia enim documenta sensu pietate incenso et ab aequalibus et a posteris leguntur, releguntur, gustantur. Quid autem attinet orationis granditatem aucupari et pretioso ornatu a Cicerone aut Livio sumpto distinguere scriptiones, quae in rebus vulgaribus versantur et semel lectae in perpetuum manibus deponuntur? In iis potius nativa stili simplicitate gratiam a lectoris inire studeant scriptores.

Fr. PALATA, Moravus.

HISTORICAE NOTAE¹

De Romana Republica a Regibus exactis ad pugnam ad lacum Regillum.

Haec traditio; at vel legentibus appetet mirus ille logicus ordo, qui non tam humanis liberis operibus quam potius scribentium ordini praefinito respondeat: documenta desunt omnino. Ardeae obsessio

¹ Cfr. fasc. sup.

dramatis cuiusdam formam exhibet; rebellionis causa futilis appareat, aut certe non aquata rebus. Tarquinius modo fertur Cumis obisse liberis uxoreque orbatus, modo Tusculi cum uxore sua commorans. Nec facile credimus Etruriae populos, ex. gr. Veientes, Cerites, Tarquinenses, Sabinos denique quos Superbus domuerat, oppresserat, pro eodem deinde adversus Romanos acerime pugnavisse. Sextus, Superbi filius, a Livio dicitur statim interfectus a Gabiis, ab aliis vero pugnavisse ad Lacum Regillum; nec defuerunt qui scriberent Superbum ipsum sepultum fuisse Romae, in insula Tiberina. Collatinus modo apparet ad abdicandum coactus quia parum novae libertati studens, modo tantum «suspicione cognitionis» cum Tarquinii. Livius narrat omnes Tarquinios pulbos Roma fuisse, at quinquaginta post annis (CCCCLVIII) Lucius Tarquinius quidam magister equum creatur a dictatore L. Quintio.

Pugna ad Regillum simillima est pugnae in silva Arsia: bellum contra Porsennam pluribus permiscetur miraculis. Clusii forsan ante Gallicam invasionem nullum cum Romanis negotium habuerunt: facilius crediderim non Porsennam Clusinum, sed Porsennam Veientanum adiuvisse Tarquinios, confusione deinde, post Gallicam eversionem, exorta. Quae vero de Coclite, de Cloelia, de Muscio traduntur, quis historiam esse dixerit? Fabulam sapiunt poetam.

Id unum tamen nemo negaverit, reges fuisse; eorum postremos fuisse Etruscos; eos tamen exactos non quia plebi adversos, sed quia quum patricii dolerent regem nec patricium, nec romanum, eumdemque superbum, ab eodem imperium regium iidem auferunt, ad sese revocant collegioque duorum ex sese delectorum committunt: tumultus non popularis, sed patricius; non adversus tyrannum, sed potius adversus externum non patricium, non romanum regem.

Nil mirum si Tarquinius conatus sit plures regnum recuperare sibique socios interfinitimos populos adsciscere, Etruscos praesertim, quippe et ipse Etruscus origine. Sabini non tam adversus Romanos ivisse dixerim quam potius eorum auxilio, quippe statim in civitatem excipiuntur, agris donantur: Appius ipse ad consultum mox evehitur.

Pugna ad lacum Regillum apud Tusculum, licet complura illa reiiciamus, quae mirifica nimis apparent, non est quod non existimetur finem vere posuisse conatibus Tarquinienibus.

S. ROMANI.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

Dativus pro genitivo

Latini libentius casum verbo quam substantivo adnectunt. Hinc dativus personae eleganter ponitur pro genitivo possessivo.

EXEMPLA: *Mihi* a spe et metu *animus* liber est — Solertiū quam quilibet unus ex iis quos nominavi *castris* *locum* cepit. (TIT. LIV.) — Non prius sum conatus *misericordiam* *aliis* commovere quam misericordia sum ipse captus (CIC.) — Quicumque amisit dignitatem pristinam *ignavis* etiam *iocus* est (PHAEADR.) — Iam *tibi* extorta est ista sica de *manibus* (CIC.) — Dentes *ei* contusi sunt — Litterae tuae auxerunt *mihi* *dolorem* (CIC., Att., XI, 22) — Initium quod *huic* cum matre *simultatis* fuerit audistis (CIC.) — Nec longo deinde *moranti* tempore contactos *artus* sacer ignis edebat (VERG., Georg., III, 565). — Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos consulis, et Chio solvite *vincia* *cado* (TIBUL., Eleg. II, I, 27) — Nec minus est confusa Venus, moriente Tibullo, quam *juveni* ru-

¹ Cfr. fasc. sup.

pit cum ferus *inguen* aper (Ov., Am., III, IX, 15) — Nam contra punitis *ingenis* glicos *auctoritas* (TAC., Ann., IV, 35) — Septem *reliquis* pauca tectorum *vestigia* supererant, lacera et semusta (TAC., Ann., XV, 41) — Morbida vis in cor maestum confluxerat *aegris* (LUCR., Nat. rer., VI, 1152) — *Artibus* ad summum donec vene *cacumen* (LUCR., Nat. rer., V, 1457)

— *Habenti* *cuidam* pecora pepererunt oves agnos humano capite (PHAEADR.) — Ingens certamen *tribunis* et inter se ipsos et cum consule fuit (TIT. LIV.) — *Dentes* illi cadunt (SEN., Ep. ad Lucil., XII) — Legatum praemisit ad flumen, ut *locum castris* antecaperet (SALL.) — Fabius nondum in *conspectum* venerat hostibus (CAES., Bel. gal., VIII, 27) — Caesar *praesidio navibus* Q. Atrium praefecit (CAES., Bel. gal., V, 9) — Est virtus nihil aliud quam in se perfecta et ad summum perducta natura: est igitur *homini* cum Deo similitudo (CIC., Leg., I, 8) — *Mos antiquis* fuit, usque ad meam servatus aetatem, primis epistolae verbis adicere: Si bene vales, bene est (SEN., Ep., 15).

Coniunctivus pro indicativo

Quandocumque scriptor loquitur ex mente alterius, coniunctivus pro indicativo usurpatur.

EXEMPLA: Convenit inter omnes nec libertatem Modesto deberi, quia non sit data, nec legatum quia servo suo dederit (PLIN.)

Bene maiores accubitionem epularem amicorum, quia vitae coniunctionem habebat, convivium nominaverunt (CIC.) — Miltiades accusatus est proditionis quod, quum Parum expugnare posset, a rege corruptus infectis rebus discessisset (CORN. NEP.) — Divinus Plato escam malorum voluptatem appellat, quod ea videlicet homines *cipientur*, ut homo pisces (CIC.) — Scipionem Hannibal, eo ipso quod adversus se dux potissimum *lectus* esset, praestantem virum credebat (TIT. LIV.) — Epi-

curus vidit esse deos, quod in omnium animis eorum notionem *impressisset* ipsa natura (CIC.) — Consilium Themistoclis reprehendit Aristides, quod non honestum esse *existimaret* (CIC.) — Atticus a nonnullis optimatibus, familiaribus eius, reprehendebatur, quod parum odisse malos cives videretur (CORN. NEP.) — Lacedaemonii legatos Athenas miserunt, qui Themistoclem absentem accusarunt, quod societatem cum rege Persa ad Graeciam opprimendam *fecisset* (CORN. NEP.) — Gallia merito laudatur a senatu quod *resistat* Antonio (CIC.) — Victus Xerxes et regnum suum trepida fuga repete coactus Demarato gratias egit, quod solus sibi *dixisset* verum (SEN.) — Discipulus piger queritur crassus calamo quod *peneat* humor, nigra quod infusa *vanescat* sepiam lympham, dilutas geminet quod fistula guttas (PER.).

Participium pro praepositione

Praepositiones reddi possunt ablativo ab soluto aut participio coniuncto.

EXEMPLA: Nudi sunt, recti et venusti, *omni ornatu orationis*, tamquam veste, *detracto* (= sine ullo ornatu) (CIC., Brut., 75, 262) — Fingendus est nobis oratione nostra, *detractis omnibus vitiis*, orator atque *omni laude cumulatus* (CIC., De orat., I, 26, 118) — Quae enim esset ista mens vel quae vita potius non modo disputandi, sed etiam vivendi *ratione sublata?* (CIC.) — Omnes qui alterum nullis *impulsi* inimicitis, nulla privatim *laesi* iniuria, nullo praemio *adducti* in iudicium vocant (CIC.) — Natura dedit usuram vitae *nulla praestituta die* (CIC.) — Dedit ei facultatem res publica liberalitatis, *qua usus* multas sibi tribus adiunxit (CIC.) — Eburones hanc *adepti* victoriam in perpetuum se fore victores confidebant (CAES.) — Dionysius servitute *oppressam* tenuit civitatem (CIC.) — Cassius *exceptus* scapha refugit (CAES., Bel. civ., III, 101, 6) — Hispani coetris super utres superpositis *incubantes* flumen

tranavere (TIT. LIV., XXI, 27, 5) — Lucius Albinus, *depositis* (=pro) *uxore et liberis*, virgines Vestae in plaustrum recepit (FLOR., I, 13).

Voces interrogativae ad exclamandum usitatae.

Voces interrogativae ad exclamationem saepe inserviunt. Praeterea, admirationis exclamatio non admittit negationem, nisi sensus est negativus.

EXEMPLA: Gladiatores, aut perditи homines aut barbari, *quas* plagas perforunt! — *Quo modo illi*, qui bene instituti sunt, accipere plagam malunt, quam turpiter vitare! (CIC.) — Q. Maximus Tarentum *qua* vigilantia, *qua* consilio recepit! (CIC.) — *Quantulum* est ei non nocere cui debeas etiam prodesse! (CIC.) — *Quanta vis!* quam inexpectata! quam repentina! (CIC., De Or., II, 55) — Pompeius, si mortem maturius obisset, in amplissimis fortunis occidisset; is propagatione vitae, *quantas* hauit calamitates! (CIC., Tusc., I, 35) — *Quot* saeculis Aristoteles didicit, ut non solum quae ad philosophos atque oratores pertinent, scientia complectaretur, sed animalium satorumque naturas omnes perquireret? (QUINT., XII, 11) — *Quanta* dementia est hominum! Turpissima vota diis insusurrant: si quis admovevit aurem conticescent; et quod scire homines nolunt, Deo narrant (SEN.) — *Quanto* melius fuerat promissum patris non esse servatum! (CIC.) — *Quae labra!* quis illi vultus erat! (IUV.) — *Quo amore inflammati* esse debemus in patriam! (CIC.) — *Quomodo* mortem filii tulit! (CIC.) — Alexander *quantas res* cum paucitate gessit *quantosque* populos fudit! (IUST.) — *Quos* pueri labores non perforunt, ut aequalium principes sint? (CIC.) — *Quanto* nunc tutior, *quanto* securior ea domus, postquam ci-vium celebritate defenditur! (PI. PAN. 49) — Acerbum est ura. *Quanto* acerbius, si id te faciente patiaris! (SEN.) — *Quae fe-*

stinatio! *Qui* senatus! *Qui duces!* (FLORUS) — *Quem* concursum in oppido factum! (CIC.) — *Quanta* diis gratia debetur! (CIC.) — Ac primum *quanta* innocentia debent esse imperatores, *quanta* deinde in omnibus rebus temperantia, *quanta* fide, *quanta* facilitate, *quanto* ingenio, *quanta* humanitate! (CIC., Leg. Man., XIII, 36) — *Quanto* mihi illud erit amabilius! (CIC.) — *Quantum* me delectat Theramenes! (CIC.).

Adiectivum pro substantivo

Substantiva quibus significatur unde sit, vel quae et qualis sit persona aut res, non invenuste in adiectiva migrant.

EXEMPLA: Nondum annos quatuordecim impleverat, et iam illi *anilis* prudentia, *matronalis* gravitas erat, et tamen suavitas *puellaris* cum virginali verecundia (P. I., Epist., V, 16). — Varro Musas *Plautino* dicit sermone locuturas fuisse, si latine loqui vellent (QUINT.) — Vatum responsa et *Pythicae* sortes notae (TIT. LIV.) — Adventus imperatorum nostrorum in urbes sociorum non multum ab *hostili* expugnatione differunt (CIC.) — Illo saeculo quod *aureum* perhibent, penes sapientes fuit regnum (Sen., Ep., 90) — *Regale* nomen magnum et sanctum esse videtur (CIC., Leg. Man., 9) — Virginibus *Tyriis* mos est gestare pharetram (VERG., Aen., I, 340) — *Quum* Artaxerxes *Aegyptio* regi bellum inferre voluit, Iphicratem ab Atheniensibus ducem petitivit (CORN. NEP., Iph., 2) — Fortuna *vitrea* est: tum *quum* splendet, frangitur (PUB. SYR., 171) — Graves *hostilibus* spolis naves dimittit (TIT. LIV.) — A cervicibus iugum *servile* deiecerant (CIC.) — Civi Romano licet esse *Gaditanum* (CIC.) — A Lucullo laus *imperatoria* non exspectabatur, qui in *forenzi* opera adolescentiam consumperat (CIC.) — Non putares deos satis posse placari, nisi etiam *muliebribus* religionibus te implicuisses (CIC.) — Flava Ceres, tibi sit, nostro de rure, corona *spicea* (=spi-

carum), quae templi pendeat ante fores (TIBUL., Eleg., I, 1) — Non est mirandum quod *aeneam* barbam habuerit Nero, cui os *ferreum*, cor *plumbeum* fuerit (SUET.) — Haec est altera Victoria, quae cum *Marathonio* possit comparari tropaeo (CORN. NEP.) — Is Tages *puerili* specie dicitur visus, sed *senili* fuisse prudentia (CIC.) — Admittis *muliebre* consilium (SEN.) — Suggerebantur etiam damna *aleatoria* (CIC.) — Pestilentia ex *Manliano* supplicio videbatur orta (TIT. LIV.) — Coronam *auream* litteris imponebant (CIC., Flacc., 31) — Senatorius ordo vitio vacato, ceteris specimen esto (CIC., Leg., 3, 3) — Gratiam habeo Simonidi illi *Cio*, quem primum ferunt artem memoriae protulisse (CIC., De or., II, 80) — Quid Achille *Homerico* foedius, quid Agamennone in iurgio? (CIC.) — Hannibal velut hereditate relictum odium *paternum* erga Romanos sic conservavit, ut prius animam quam id deposituerit (CORN. NEP., Hann., 1) — C. Gracchius tribunatum, in quo *fraternum* exitum habuit, inivit (VAL. MAX., I, 7).

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

PASCHALIA

Paschatis festum commune fert aliquid et cum hominibus, cum caelo, cum solo, cum aere, cum campis, ipsis denique cum animantibus et divisum et divisibile, sit venia voci, iucundum. Resurgente Domino cuncta resurgent, et vel hic

Regis ad exemplum totus componitur orbis.
Alleluia igitur Regi saeculorum! Alleluia! dum omnia decantant, quia hyems abiit, imber abiit et recessit....

At si medio in quadragesimali squalore et luctu gentes nostrae, praesertim pueri, quibus, potiusquam viris et senibus omnis



festorum iucunditas comparatur, si medio, inquam, in quadragesimali squalore et luctu modum invenere, quo non modo passim sublebarentur, sed vel exsultarent, considerate vos quid invenerint ut gestarent gaudiis profusis et effusis adveniente die, qui laetitiis, qui iucunditatibus omnibus refertur, effertur a solo ad solem, a privata quavis domo ad publicum quodlibet aedificium, a foro ad templum, ab urbe ad vicos, a silva ad agros! Et... et decem circiter diebus integris scholae, tormentum ingens, muribus et araneis inhabitandae relinquunt; superciliosus nunc, plagosus olim, magister abest; et cum eo libri omnes, et cum libris latina illa interpretatio cane peior quotidie latrans, et cum latina interpretatione abominabiles illi scriptores, iracundo filiis hominum Iove nati, Tullius, Livius, Vergilius, Caesar, Ovidius, et sexcenti huiusmodi ad nostros usque dies... Atqui, saltem dies integros decem, hi conticescent! Et quid putas esse, quum tanta solemnium dierum horum pars pueris praesertim producenda tribuatur? Advocantur ad ritus, ad caeremonias acciuntur, libenter adeunt, immo accurunt, secum ferentes clamosum, et vivax, et iucundum illud amabilissimae aetatis. Non ego hic de uribus ago, et de principibus praesertim, in quibus puerilis illa laetitia, sicuti mores prisci, inversa est, et quoddam subditur a puerili habitu et gratia repugnans, solemnne, inquam, et moestum; atqui nihil magis exossum quam puer senescens, sicuti nihil magis ridiculum quam senex iuvenescens! Loquor de iis, quae adhuc in vicis, in pagis, in minoribus oppidis et minimis adhuc habentur, ubi nondum omnia pristina obsoleverunt, non omnia optima contabuerunt.

Atque in locis huiusmodi iam a Dominica Palmarum gravia et grandia, et plurima sua munera solemnissimorum rituum incipiunt pueri obire. Vae olivis, quae non longe a vico, ab oppido sint! Innocentium nocentissima turba praedonum, capto tem-

pore, quo dominus, quo custos abfuerit, irruet, auferet praecipuos, et super alios pulchre virentes ramos. Quanta autem gloria in pompa palmarum; quae superbia, in procedendo, in quassando, in ostentando oleam quisque suam!

At lugubres dies in templo inciderunt! Squalent altaria nudata mantilibus, candelabris super mensa subversis; campanariae turres conticuerunt; aheneae voces obmutescunt, neque designantur horae, neque vesper, neque meridies. Hoc grande pueris officium creditur. Armati, ornataque crepitaculis vias circumeunt, templo pro tintinnabulis inserviunt, fragore vehementissimo, horas, sacra officia, auroram, meridiem, vesperas indicant. Mirabile dictu! Nunquam tanto nec usquam defuerunt officio! Immo tam vehementer in illud coenantur, ut piae feminae filiis nepotibusque circumstrepentibus suaserint insigne aliquid patrandum, scilicet, illum crepitaculorum fragorem medicinam optimam esse, qua serpentes omnes, quotquot latere possent, illo strepitu suffocarentur, aeternum agris exterminarentur! Et interdu abeunt exterminaturi dracones quotidie, interdum et noctu, donec crepitacula vigebunt.

At postquam praeteriere dies, ecce Sabatho Sancto sacer ignis accenditur: adventant pueri ligna ferentes, quadragesimum simulacra chartacea, et siccis olivarum ramos, qui domi anno integro servati sunt. Ubi benedictus fuerit ignis et corum pars ardens carbonibus in thuribula distributa fuerit, certatim pueri omnes ventilabris, vasculis omnis generis, ferreis, cupriis in carbones irruere ut capiant, ut auferant, domumque reportent. Clamores, et interdum ululatus, plures; nam turba densa frequens invicem premitur, nec raro fit ut abiens in adventantis pectus vel ora carbones ardentes inferat, ut aliis cadat inter ardentes cineres et prunas. Quod vero nocentius in igne, non minus lepide, sed omnino absque detimento fit, dum parato

lacu aquae benedicitur solemnissime. Quae ubi populi arbitrio et cupientium desiderio traditur, extemplo pueri, puellae, quin etiam matres et aviae lagunculis, phialis, cyathis vitreis, testaceis omnibus, quotquot ad manus habuerint, ad lacum accedere, haurire, attingere quo possint meliori modo; at in hauriendo, in tollendo saepe vitrum in testam incurrit, cyathus in lagonam, phiala in amphoram, in urceum percutiunt; rumpi omnia, aqua effundi saepe in caput, in humeros eorum, qui circa sunt; nam quisque vasculi sui incolumitati consulere credit, si pae ceteris altius attollat. At ubi sat vasorum effracta sint, ubi siccatus sit lacus, omnes maturare domum versus, dum campana aera implent omnia sonitu laeto, resurgent Christo alleluia persolventia, turba illa iucundissima domos repetunt. Ecquis stimulus? Parata mensa cui adveniens benedicet sacerdos. Illic placenta azymae ad imitationem earum, quae praescriptae sunt Hebraeis ab Aegypto exeuntibus; illic ova solida, illic apposita isicia, et suilla quaeque e perna ad fartum; illic agnus occisus et medius cibis omnibus, lauro, myrto, violis decoratus. Sunt qui apponant vina in lagonis; verumtamen hi rari. Et qui pueri circum haec omnia sunt, numquid continebunt rapidas ad haec levia fulta manus gula puerili suadente? Praegustant interdum de bene compositis, coctisve laudaturi matres, si hae in latrocinantes exprobrantia verba coniecerint.

At nunc in rem incido, quae, si enucleata fuerit, fortasse legentium gulas titillabit, contra fasque compingam. Itaque... tacere praestat.

P. d. V.

Beata mens, quae nec adulatur aliquando nec adulanti credit; quae nec decipit alterum, nec decipitur; nec malum facit aliquando, nec patitur.

S. HIERONYMUS.

ROLANDUS ADOLESCENS

Puerum quem dapes intuentem reliquimus,¹ accipitrem reapse factum gestorumque, quae Carolus imperator vaticinatus fuerat, adimplementum adeptum novae cantiunculae iucundissime persequuntur. Meminerat ferme Carolus indeque puto tam tute vaticinium protulisse, qui fuerit mos accipitri, aquilae ceterisque bellatoriae stirpis avibus a natura traditus, et quae cecinerat Horatius carmine illo notissimo:

*Qualem ministrum fulminis alitem,
Nunc in reclutantes dracones,
Egit amor dapis atque pugnae.*

Et sane dracones horridaque monstra et prodigia, quae Rolandus aestate auctus eques aut pedes cuspidi vel gladio adortus est, nec recogitaveris facile, nec dixeris.

Sed quae carmen profert ab A. D'Avril edito, ut ea propius consectemur, de adolescente verba sunt, utpote quae imperatorio auspicio primam veluti fidem addiderint. Res equidem Pelideam fabulam haud a longe imitatur, quem novimus omnes inter Lycomedis regis Scyri filias a matre absconditum; ne in fatale sibi bellum — tale enim Troianum nato futurum dea mater senserat — ardore pugnandi concurret. Quem tamen Ulixes, omnium sagacissimus, mercatorio habitu personatus detexit abduxitque post acies ad triumphos.

Gemina itaque Carolus cavit. Qui quum contra Agolantem, pervicacissimum infideliū regem, ad bellum venire coactus esset, Rolandum nepotem decimumsextum agentem annum, corpore procerum, viribus titanum, in Laonia arce una cum aequalibus quatuor conclusit. At quadam die

¹ Cfr. fasc. mens. Aug.-Sept. MCMXXXIX.

quum captivi adolescentuli hinnientes equitatus acies transeuntes canentesque tubas iuxta propugnacula exaudissent, custodem deprecati sunt, ut facultatem videndi concederet. Illum autem renuentem iterum postera die lassissiti, tandem pugnis calcibusque oppresserunt atque sensibus deiectum relinquentes abierunt.

Deerant vero equi quibus conserderent, quaerebaturque iam Rolandus inquiens: « Nunc itaque famulorum more pedites ibimus? » At ecce villici Britonum quinque equitantes obviam veniebant; tuncque repente Rolandus in primum prosiluit virgaque percutiens deicit in terram; comites, ad sui ducis instar, suum quemque rusticum prostravere, ita ut paulo post quintuplex manus lectissimis equis insidens concitato cursu post exercitus imperatorisque vestigia die noctuque concurrerint.

Agolantes ad Montem Asperum instructis copiis Christicolarum legiones manebat; ibique commissum proelium est. Dimicabat in primis fortissime regius ipse filius ensem distingens celeberrimum, nomine *Durlindana*, equumque corrigens Vigilantium; hic itaque, momento arrepto, in ipsum Carolum impetum repente fecit, ita ut senescens iam imperator tam validi iuvenis occursum non sustinuerit atque in solum ceciderit. Iamque imminebat regali cervici mortale vulnus, quum adstitit inopinato Rolandus, infidelem percussit interfecitque, equum atque ensem spolia sibi abripuit; quare ipse statim Carolus equestri dignitate nepotem remuneravit.

Paulo post Gherardus Viennensis princeps seditionem in regem concitavit, seseque in arce, quam ad Rhodanum flumen constituerat, abdidit munivitque. Tunc Carolus moenia obsidione circumdedit, suaque castra undique constituit atque ad ea Rolandum quoque nepotem advocavit. Qui quidem, quum pugnaretur ad moenia, puerlam in summo vallo conspicere sibi visus est colore candido, caeruleis oculis, quae in

quemdam ex hostibus oppugnantem lapidem iaciens statim necavit. Tunc conclamat iuvenis: « Nunquam hac via me duce oppidum expugnabitur. In mulieres enim impetum nunquam faciam. — Quae vocaris nobilissima virgo? Pura mente sciscitor ». Exhinc utrumque mutuus corripuit amor.

At obsidione nimia diurnitate languescente, Rolandus atque Oliverius bellatores eliguntur, qui singulari pugna in Rhodani quadam insula bellum confiant. Aspera pugna diuque producta, quum repente frangitur Oliverii gladius. Cui Rolandus: « Domine, agnosce me nepotem Gallorum regis: si percuterem, inermem me interfecisse nunquam paterer. Iube igitur novum tibi gladium ferri, simulque vini amphoram; nam vehementissime sitio ».

Aemuli igitur in solo requiescunt quum reddit famulus, gladium et amphoram deferens. Oliverius genuflectens prope Rolandum cyathum offert. Famulus, temporis momentum nactus, imperatorii nepotis caput amputare aggreditur; sed Oliverius, nutum inopinatum ratus, pugno praevalido illum in terram deiicit. Redintegratur itaque pugna; at ecce prodigium in caelo, nubes candida, quae bellantes dirimit, eosque inter angelus apparet iubens: « Sat honordatum: cavete ne iterum ad arma descendatis; Deus enim ipse vos prohibet. Profiscendum vobis in Iberiam; ibi contra infideles virtutem vestram experiamini ». Tunc mutuo amplexu unus alteri alligatur atque ad invicem mutuam fidem quamdiu vivant despondent, pauloque post ipso imperatore adstante, Aldae, candidae puellae, Rolandique, invicti iuvenis, nuptiae celebrantur. Superveniunt attamen repente missi nuntiantes Arabes, ex Massilia prefectos urbe, inferiorem Galliam ferro et igne pessum dare. Rolandus itaque annulo Aldam sibi iungit, quae sponsum vicissim vexillo candido donat, unaque cum Caroli copiis Iberiam versus statim profiscitur.

Post haec Rolandi celeberrima cantu Nicola sequitur, quae cladem ad Montem Asperum refert, ipsamque principis mortem.²

I. ANTONELLI.

DE NOSOCOMIIS¹

Paupertatem et abstinentiam arctissime servari leges nosocomiorum praecipue iubebant; nam ut loquebantur Hierosolymitana statuta, « dum infirmus et pauper vestibus et cibo eget vosne qui eum hospitio accipitis luxuriose vivetis? » Iubebant quoque infirmum aut pauperem vix ingressum hospitium sua peccata confiteri, deinde communione sacram refici, postea ad lectum duci. Cibum ei cum caritate afferendum suadent, pauperesque dominos loci vocant. Dominicis diebus vero post cantum Epistolae et Evangelii supplicatio per nosocomium ducebatur et infirmorum lectuli aqua lustrali circum aspergebantur. Pariter lex erat ut infirmis, quidlibet petiissent, traderetur, dummodo ne valetudo eorum damnum pateretur; unde fabula de Saladino rege orta est. Qui narratur Hierosolymae sub aegrotantis veste in nosocomium acceptus sibi pedem equi Magni Magistri petiisse. Enecatur equus nobilissimus, affertur pes, tantaque liberalitate Saladinus perculsus, sese revelat.

Patientia adsistentibus ministris maxime legibus commendatur; de cibis multa carentur, optima vero de lectulis ac de linetaria re. Infantibus et puerulis nonnulli semper straticuli parati erant.

Splendida saepe erat aedificiorum facies et ornatus, status divites saepe aulae ut aegrotantium oculi laetificantur; coquina et vitrinum et aquarium remotis in aedibus

² Cfr. *Almae Romae* fasc. mens. Ian. MCMXXXIX.
¹ Cfr. fasc. sup.

collocabantur. Numerus autem recipiendorum aegrotantium plerumque non praefiniebatur; domus enim, — dicebant leges, — pauperum est atque idem omnes ius eam incolendi habent. Quinimo ex multis nosocomiis ostiarii interdum mittebantur ut per urbem aegrotos quaererent, quos suum ad hospitium adducerent.

Distinctae vero semper erant leprosorum aedes, quae « Lazarus domus » vulgo appellabantur. Sed leprosis nulla erat medicina, quocirca ad id tantum eorum domus constituebantur, ut a reliquo populo seingerentur, ne pessimum contagium diffundederetur.

Amentium tantum hospitia perraro condebantur; mentis enim morbi non ita frequentes apparent ut hodie accidit; quod si qui furentes essent, ferrea lege heu! in vincula coniecti miserrimam vitam trahebant.

X.

Epistolare sociorum commercium¹

Amplissimo Viro Doctori JOSEPHO FORNARI
pax et bonum.

Multis mihi curis distento, tandem tempus optatissimum adfuit, quo Tibi tuisque *Almae Romae* Collegis, de beneficiis in me assidue collatis ampliores gratias agerem et haberem. Quae alias Tibi significavi, ea apertissime confirmo; a me scilicet tuum latinitatis praeconium, in docendi officio et munere fungendo, magistri loco habitum et haberi, cum tantum mihi prosit, quantum discipulis, quibus legendum committo. Quapropter haec mihi dicenti singuli praesentes adsunt, inque mea verba, quem

¹ Diu ancipiti animo fuimus utrum has litteras, tanta erga nos humanitate redundantes, ederemus: insolenti enim et inani ostentatione ab aliquo coargui posse videbamus. Quum vero, honorificis verbis sepositis, de argumentis maxime momenti in iis agatur, quaeque acerrimam et attentissimam cogitationem mereantur, deliberatum nobis est eas in lucem proferre. Amplissimas autem gratias clarissimo atque urbanissimo earum scriptori et habemus et referimus. - A. R.

nativum candorem, quam amabilem gratiam sui in me voluntatem significantes, praestant, ingere velim; sed, fatebor enim, non chorda sonum reddit, quem vult manus et mens.

Ceterum non inde tantum tuae gravis doctrinae fructus percipiunt: uberiore sane colligunt, quum illa tua «*Communia vitae*» mecum accuratissime versant. Copiosa illa verborum et dictionum supellex, rerum varietate conspicua, selectionis diligentia opportunissime utique congesta et distributa, quam, me dictante, in ordinem digerunt, tam abunde ab iis usurpatur, ut eam perdiscere, totam, diutina exercitatione, complecti, suamque, dixerim, propriam facere, potius quam molestum pondus, periundus sit labor et studium. Quam integrum et germanam latinitatem sapiat tantus ille sapientiae apparatus, qua doctrina, planaque discendi et docendi via et ratione eniteat, ipsimet videre licet, quum, in alumnorum scriptis emendandis, non modo quae ad ubertatem, sed ad formam quidem dicendi multum conferant, suppeditant: unde fit, ut latina oratio quadam sua venustate exornetur. Quum optimum, hisce diebus, typis committere habeatur quod, nullo negotio, passim undique de promptum acervatum colligitur — librorum enim, ad scholae usum, qui alii ex aliis quodammodo nascuntur, doctissimi auctores nihil aliud plerumque nisi de novitate laborant, atque non raro in suas res alienas conferunt, sibique adsumunt — Tibi tanti probatissimi studii et laboris praemium sit, haud contempnendum confido, quod magister, siquidem ad grandiorum aetatem proiectus, disciplinæ usu non exiguo praeditus, tribuit: tuum opus profecto praeter cetera eiusmodi, adeo praestare, eaque post se tantum reliquere, ut nullum aliud cum illo contendere queat. Omnino sane tuum esse affirmo, prorsus tuum iudico; eoque vehementius id profiteor, quum plane noverim omnes nostras laudes tui animi modestia, quam sequitur pervaigilans silentii studium, superari.

Si quid vero mihi, qua sum tenuitatem, annotare fas sit, ea tantum desiderari dicam, quae ad res religiosas spectent, quas e tenebris, ubi iacent, evocandas et in usu quotidiano itidem collocandas censeo. Nego ullum esse librum, quem discipuli tractant, in quo principem locum non obtineant falsi illi et innumeri dii, quibus veterum fabulae decorantur. Ubinam enim Deus

noster? In occulto latet, eoque minus incedit triumphans Rex regum, Qui semel oblatus in Cruce, in altari quotidie immolatur, unde divina Corporis dape, suavissima potionē Sanguinis, nos secum arctissime copulat in vinculo caritatis. Ubinam tandem renidet, sole splendor, splendidissima Mater, sive concinunt angelī, sive beatitate radiantes gestiū caelitum chorū? Omnibus hoc studium, eademque, pene dixerim, voluntas, nubibus obtegere caelum. Quod, si in suum quisque auctor librum verba, dictiones, animadversiones, quae ad nostram sanctissimam fidem respiciant, affatim induceret, discipuli aqua non haererent, quum de rebus divinis, de caerimoniis aliquid sive dicendum, sive latine confiendū iis magistri committunt. Quum improviso fato suo cessit, suavissimus nobis et numquam satis illacrimandus, Pius XI, Pontifex Maximus, mihi acerbissimo dolore perculso, quae apte ad rem facerent, verba, sensa, ipse color, ut de Eo minus indigne dicerem, undenam deducenda fuere? Ex aurea nostra *Alma Roma!* Ecquid aliunde derivasse, quod tanta pietate, filiali observantia, decore, admirandam Sancti Patris imaginem proponeret, qui, totam vitam, nullis intermissis precibus, laboribus, curis, ut pax Christi in Christi regno vigeret, summa navitate contendit? Qui Deo Italiam restituit, qui denique, atrocissimi belli novo impendente periculo, tanti discriminis averruncandi causa, seipsum Deo ultro piaculum vovit? Sacris et divinis rebus nihil, aut non multum huc usque consultum est, nisi forte optime prospexere qui totum Olympum accitum in scholis habitudine curaverint. Nonne potius fuit, Italiae nunc fatis et institutis renovatis, obsoletam illum materiem et tritam mutare, aliamque introducere, quae melius cum iuvenum pietate, viataeque moribus et ratione consentiret, eademque porro adiumento esset magistris, qui hoc primum sibi studium ponunt, ne quod fidei et caritatis lumen e sinu matris suixerint, primo hebetans nutet, languescat dein, postremo miserime extinguitur? Quae contra verborum copia industrie congesta, atque, magnam partem — recte an perperam doctissimi viderint — recens, ad tyronum usum, parta, ut ludi gymnici, motusque corporum apprime exprimi et ornata proferri valeant. An nostro aevo non nisi de tybiis agitur? «Non in tybiis viri beneplac-

titum erit Ei» psallamus concordes! Haec librorum moles quum iuvenum clamores faciant, senibus tamen non probantur. Nostras aures feriunt quae omnes, et illi, praeter ceteros, qui studiorum et humanitatis causae praesunt, ad satietatem, uno ore, clamitant; hoc enixe elaborandum esse, ut schola ad absolutissimam sese communis hominum vitae formam referat. Curnam nihil, omnino nihil, in libris nostris, de religionis ritu? Atqui adolescentuli tempora adeunt, sacrī intersunt, pias pompas sequuntur frequentes, plene fundunt de pectorē cantus, divina Synaxi preefervidi, ut caelestia captent, reficiuntur! Quam multa, mecum ipse reputo, cognoscenda, addiscenda, quae, cum alacri magistrorum vigilantia et diligētia, domestica flant, in mediis animis et medullis haerent, multumque adiuvent ad fidem confirmandam, et pietatem refovendam. Quae omnia, e contrario, licet communia vitae, si discipuli, suo marte, persequantur, in arena aedificant; et lexicis enim, vel optimis, nullam in rem verborum, formularum munditiam et copiam deducere possunt, quibus, per iter insuetum et plurimis arduum, opportune utantur. Tantae tenuitati, pro suis viribus, magister subvenit. Huiusmodi exercitationum praestantium, quarum utilitas magnitudinem perspicit, nullo pacto, sibi neglegendam patitur. Quid enim prohibet, quominus interdum schola templi decus et maiestatem referat? Quo gaudio magistri animus perfunditur, resque nempe opportunitissimae, singulis fere horis, dantur, quum, sensim nescio, an improviso — Deum intus alloquenter audit — id consequitur, ut ex humanarum litterarum palaestra in hoc divinae doctrinae sacrarium, aulentis innocentiae, aestuantis pietatis perfugium, aliquando discipuli secedant, secum Christi militiae stipendia facere gaudentes. Praeceptor autem, nec raro, — memet primum in numero colloco — in salebras incidit, utpote qui haud frequenter in his rebus ipse versatur. Libris in hac provincia caremus: quando tandem edentur?

² In hoc doctrinae genere non parum mihi adiumenti attulere nostri doctissimi et candidissimi Sylvii Romani scripta, quae sunt: «De hodiernae vitae ratione renovanda meditationes». Est in adolescentum deliciis illa suavissima *Mystica Antenna*. Cui gratissimo hoc votum sumo, ut de illa re, quoctius calamo dimittat habenas. Ornate et castigate dicendi

Virum haec res postulat, non infitior, sed habeo. Tute, tanto labore haud impar, huic scholae necessitati consulas velim: ea doctrina conficias, quam summa sedulitate necnon diutino studio conquisitam, in rebus hac gravioribus, quotidiana consuetudine, scita et graviter adhibere soles. Tum religio et in politioris humanitatis disciplina, quem locum et dignitatem sibi iure vindicat, obtineret.

Ne vero hanc epistolam in volumen transferam, neve, plus quam necesse sit Tibi temporis arripiat, aut absona ista vere praecipientis potius, quam rem tecum considerantis videatur, quae dixi et suadere sum ausus tanti facias ore, quanti mea interest, qui, quum bonarum artium magister iam consenserim, tamen, quoad stare cogar in acie, stipatus «*studiis iuventutis*», nihil praetermittere censeo, quin scholae nobilissimam causam agam. Quae si respexeris, idque novum tuae pietatis et doctrinae opulentissimum munus magistris et discipulis donaveris, illud frugiferae caritatis vinculum adiuvabis, quo, nosmet alii alia ratione conspiremus, ne unquam postea nostrum communem Patrem querentem audiamus, quod «quae animi ornamenta, nobilitatem, observantiam, humanitatemque redolent, ea minus commendantur». Tanti Pastoris et Magistri imagini oculis inhaerens, quam vehementissimas preces admoveo, ut, quae sapientiae et caritatis lumina — oracula videntur — Ille hominibus undique terrarum pandit, quem pietatis rivum ex animo, ore plenissimo fundit iuventus nostra certatim sumat, hauriat, nunquam adeo satiata, ut ardentius concupiscere non quaerat.

Utinam ne meis litteris Tibi obstrepere sim ausus! Sin autem, mihi ignoscas quaequo: secessus est natura loquacior; loquacissima vero, sic teneto, quum, praevalida fide instructa et munita benefactorum vitam, operam, resque omnes caelestium munerum superno Datori instanter commendat.

«Annales» exemplum ad imitandum habemus. Docent enim res publicas et privatas, nostras et peregrinas, omnia denique quae, sua quadam novitate a latino dicendi genere primo abhorre videantur, ea subtleri explicari et ad latinam orationem ample elateque accommodari posse.

Tanti nominis *Almae Romae Scriptores* cum Cicero alloquar: «Isti enim nos plerumque ipsi docent, ut non desideres planius dici».

Piscatorum et Sredni peninsularum. Neque id solum; Finnia enim adacta est Russicae civitati locare Hangoe peninsulam orbemque circumstantis maris insularumque in eo existentium ad quinque millia passuum, ut munita loca sibi Russia constitutae, quae contra aggressionem aliquam eam defendant; aliaeque varii generis condicione de maritimis copiis, de ferriviis, de libero Russorum transitu per Finnorum rempublicam...

Deplorabilis hic rerum status num poterit firmam pacem Finnico populo afferre? Verum equidem omnino exstitit quod iam dederat Pius XII P. M. monitum, gladium pacis conditiones imponere posse, minime heu! veram pacem creare!

Dum haec geruntur, Summer Velles, a secretis publicorum negotiorum in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis, earum Praesidis nomine, Europam peragratus, ut quae fieri in futurum tempus possint prospeculetur, praesertim circa oeconomiam apud omnes populos restitutio- nem. Dictitant illum aequabilem iustum que compensationem patrocinari inter divites pauperesque nationes, permutationum mutuique laboris libertatem, quae in pace iustitiae innixa renatae oeconomiae rei caput sit, ab armis discessu comitante, ex quo vis et opera procedent in divitiarum distributione: priusquam vero de liberis permutationibus, de mutuo labore, de armorum depositione sermo habeatur, necesse erit, ad aequabilitatem obtinendam, par pondus pro omnibus constituere. Optime quidem; sed prius animorum conversio efficienda prorsus est!

Eventus alii peculiari nota digni non sunt, nisi renovatio Gallorum administrorum collegii, in quo Daladier exterorum negotiorum praefecturam unicam retinuit; et conventus Hitleri atque Mussolini ad Brenneri fines. In castrorum enim occidental fronte adhuc procursatur.

POPLOCOLA

FABULAE

DOCTOR EQUES

Κακὸν μέγιστον τοῖς ἔχουσι αὐτὸν φθόνος
Professor quidam, iamdiu eques iure optimo,
Oculis spectabat comitem limis, ordinis
Eiusdem honorem qui studebat assequi:
« Senio confectus, hebes, in mortis limine
Rescribere ad equum, amice, ut bene valeas
[cave!]»
Salse at collega: « Pridem fulges anulo! »

LANIUS RATIOCINATOR

En mercatori idem ac furi cur sit deus.
Lanius hillas, qui venditabat optimas,
Botulos rogatus quis farciret carnibus,
« Suavis perdicis » inquit « et sapori equi ».
« Rata qua parte? » « Ex aequo: nempe una cum
[avi]
Quadrupedem unum tero et botellis insero ».

VULPES ET GALLUS

Imago quam sit vanae nocua gloriae
Vel calliditati belle docet haec fabula.
Arreptum velox gallum vulpes mordicus
Vivam gerebat catulis escam edacibus:
Laeta et per sylvae dum repit declivio
Mente ales volvit qui instantem vitet necem.
Nunc cursu anhela castaneti umbram subit
Rapax, nucesque cernit mites cortice
Delapsas hirto; huius rident calyces
Clivo sparsis late rubenti fructibus.
Aegre tum vulpes: « Quot chistiniae! » dentibus
Muttit mendosa: mox Martis quaeritur avis:
« Crassae heu misellam victimam insipientiae!
Ilitterata turpe est trudi in guttura:
Male cessi! Ignoras an cerebrum desideras? »
Vulpes dum stulte: « Castaneas novi nuces! »
Clamat, emitit laxis pullum faucibus,
Rapidis petit qui celsam pennis arborem,
Mutasque sylvas cantu implet victoriae.


M. GINOTTA.


IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreensis.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS





VARIA

De dolo atque fraude in bellicis negotiis.¹

Fraus quae fit in re militari fidem frangendo, pacta non conservando, nequaquam gloriosa est. Nam etsi per hanc quandoque imperium comparare possis, laudem certe gloriarique ex hac nunquam acquires. De ea fraude vero doloque idem non sentio, quae in stratagematibus consistit, qua hostem, qui alias tibi minime confidit, decipere, deceptumque vincere potes. Huiusmodi fuit illud Annibal's stratagma, quo ad lacum Perusinum fugam simulavit, ut Romanum consulem et exercitum in angustias locorum coniceret. Et id quod adversus Fabium Maximum usus est, ut in tu tiorem locum se suosque recipere posset; quando faces et sarmenta boum cornibus alligata noctu accendit, et armentum in ea loca egit, in quae cupiebat hostem sese convertere. Quibus simile fuit illud Pontii apud Samnites, per quod Romanorum exercitum in Caudinas furcas impulit. Nam is, quem in saltu Caudinarum furcularum copias suas occultasset, milites quosdam habitu pastorali, qui armenta per planitem agerent, dimisit; qui a Romanis comprehensi et interrogati de loco ubi Samnites forent, responderunt omnes, ut in mandatis a Pontio habebant, Samnites Nuceriam obsidere. Quod quidem quum Romani propter consensum omnium credidissent, iter per Caudinas furculas, ut Nuceris subsidium ferrent, suscepserunt. In eas autem quum fuissent ingressi, deprehenderunt se undique a Samnitibus septos esse. Potuisset et patris sui consiliis obtemperare, qui suadebat aut omnes Romanos sine ulla

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

ignominia liberali animo conservandos, aut omnes ad unum tollendos; medium autem viam, quae neque amicos parat, neque inimicos tollit, nequaquam ingrediendam.

Pro iudicibus mensarum elegantibus

ESCARUM ORDO:

Intrita iurulenta ex herbis.

Gallina elixa cum oryza croco condita.

Frusta panis frixa fungis conspersa.

Lumbus vitulinus assus; Acetaria.

Dulcia ad florem lactis.

Iocosa

TUCCIU' patrum invisit; qui, lectulo recumbens, eum salutans:

— O Tucci dilecte, veni, super genua mea inside.

TUCCIU' — Aedopol! ut faciam, si venter tuus super ea iam consedit?

TUCCIU' in schola.

Magister accurate explicat nubium formationem, phaenomenon nempe aquae vaporantis. Tum Tuccius:

— Nunc tandem intelligo ut sunt nubes albae atque nigrantes! Scicilicet illae e vaporante aqua munda flunt; hae a sordida.

Aenigmata

I

Vox eadem maneo: mox sum fera bestia, taetra corpore saetigero denteque fulmineo; mox praetor sum Romanus, gaudere rapinis quem sensit damno terra Sicana suo.

II

Triste tibi faciens pectus rigo lumine rore. Principium demis? Candidus ales adest.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Pārentes, Pārentes;* 2) *Asser, Passer.*

Ann. XXVII

Romae, mense Aprili MCMXL

Fasc. IV

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXL est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad IOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

De causis potioribus quae romanum Imperium, evangelica virtute operante, labefactarunt

Eodem modo, quo ex cotyledonum putredine novam germinare plantam inspicimus, quae agricolarum sollicitudines compensare debet, ita nos, oculis intentis incunabula Christianorum prospicientes, post Commodo imperatoris tempora praeuersa, progredientem, in Reipublicae structura, tabem inspicimus, quae Fabriciorum, Cincinnatorumque exempla despicienda proclamans, eadem in fabularum regnum coniciebat. Morum probitas fidesque ab hominum societate depulsae fuerunt earumque loco, superbia, libido, avaritia steterunt. Interim Paganorum societatem quam cum cotyledonibus contuli, veterius de nulla re sollicitus occupat, qui cum evangelico sinapis grano pugnat ut illud omnibus oleibus maius existat.

Viri docti inter Paganos, hoc evangelicum semen non perspexerunt, quod tantum, Constantino imperante admirati, consideratione atque examine dignum censuerunt. Sed persecutionibus saevientibus, — quae pugna in hominum societate tanti ponderis fuit! — doctorum virorum curam de Christianorum moribus, nullam inspicimus, et si quando de Christianis moribus

locuti sunt, ut apud Tacitum cedit, verbis pene iniuriosis id effecerunt. Superba haec negligentia rem Christianam non minuit, immo eam validiores reddidit, pugnaque Paganorum inter Christianorumque mores acrior viguit, quoad Christianus sanguis, Christianorum semen evasit.

Rerum humanarum scriptores eo tempore minime senserunt hominum mentes a multiplici Paganorum itinere discessisse et ad novae Fidei unitatem se convertisse atque ad hunc finem humanum genus, Providentis Dei manu fortiter suaviterque esse adductum. Sicut in circuitu, radii e multis curvatura partibus erumpentes, in unum locum quem centrum vocamus contendunt, ita animorum motus ab infinita Paganæ religionis pluralitate discedentes, in unam, sanctam, catholicam et apostolicam fidem conveniunt. Cuius rei causa, Paganæ religionis vincula dissolvuntur, Christianaeque Fidei vincula arctius colliguntur. Ea quae apud ethnicos dissolventia elementa existunt, a Christiana Fide collecta ac velut in fusorium vasculum demissa, ita purificantur et purificata coalescunt, ut nova humana societas inde efformetur.

Tali modo, ad Deum veritatis centrum ea magna elementa convergebant, quae humanæ societatis ac domestici consortii

fundamenta sunt, eaque Sanctae Crucis illuminata splendoribus, Crucis, quae ignominiae signum fuerat, illum elaboraverunt triumphum *ad Saxa rubra*, Constantino Magno praenuntiatum fatidicis illis verbis: *In hoc signo, vinces!*

Praepotens Alexandri Magni imperium quod melius in illis fatiscentibus Orientalibus imperiis invenerat amplexatum est ut ad hellenicum usum mores redderentur, atque ita scite omnia immutavit; deinde Romanum imperium quasi haeres reliquias extremas regnorum quae e graeco-macedone imperio originem duxerant, in suam potestatem adducens, illud voluptuosum atque effulgens vivendi genus eduxit, unde humanitas officiosa orta est, quam Romanam appellamus. Inde Romanorum *cosmopolitanismus* viguit, qui Stoicorum sectae adhaerens, humani cultus exquisitum fructum protulit, quem Deus Providens ad proximam Evangelii diffusionem veluti fundamentum in Universo Orbe statuerat. Nam post Macedonis imperii constitutionem ab Alexander effectam et a successoribus diutam, *Romanus civis* idem fuit ac *Orbis terrarum civis*, quem universalem cogitandi modum Stoicorum effata enutrierunt, et ad perfectam maturitatem eduxerunt; Romanorum vero imperium illa in suam rem accepit, singularem cogitandi modum antiquae Graeciae depulit et fundamenta illius gloriosae molitionis statuit, quam «*Romanum ius*» appellamus. Caracalla imperante, totius Orbis gentes quae voluerunt, pecunia, romanam civitatem adeptae sunt et Roma, ut sophista Polemus scriptum reliquit: *Universi compendium fuit, seriusque poëta Namatianus canere non dubitavit:*

*Fecisti patriam diversis gentibus unam,
placuit invitis, te dominante, capi.*

(Iter).

Interim romana Res, e manibus severiorum Patriciorum in Aula Patrum collectorum, ipsa per se in manus Principis de-

fluebat, penes quem summa rerum potestas erat, qui magna negotia per graeculos libertos plerumque administrabat. Cuius rei causa, suprema Patrum auctoritas e sella depulsa, tota Rei Publicae constitutio cedit, arbitriumque Principis suorumque Satraparum stetit.

Imperatoribus regnantibus, severa illa discriminatio inter nobile et humile genus paullatim evanuit hominesque infimi, faex et sordes populi, ad summa imperii fastigia elati sunt. Opinati sunt Stoici philosophi, omnes homines inter se pares esse, unde illa affluit *caritas humani generis*, quae Epiteto magistro, ad meram fraternitatem pervenit¹ viamque evangelicae doctrinae stravit quae veritati innititur dicenti: *Pater noster, qui es in caelis.*

A Deo providente iter hoc signatum fuerat, atque ita ex deficiente Romana societate illa Christiana societas viguit, per quam Mundi redemptio effecta est.

ALEXANDER AURELIJ.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

Substantivum pro adiectivo

Nomen adiectivum nonnunquam redditur nomine substantivo, quod genitivo effertur.

EXEMPLA: Caesar salutem suam *Gallorum* equitatui committere non audebat (CAES.) — Cleonthes dixit in animis *hominum* informatas deorum esse notiones (CIC.) — Nullam capitaliorem pestem quam *corporis* voluntatem hominibus dicebat a natura datam; hinc patriae proditio-nes, hinc rerum publicarum eversiones nasci (CIC.) — Memorare possem quibus in locis maximas *hostium* copias populus romanus parva manu fuderit, ni ea res

¹ ZELLER, *Filosofia dei Greci*, III, 1.

¹ Cfr. fasc. sup.

longius nos ab incepto traheret (SALL.) — Omnes virtutes non tam ipsis qui eas in se habent, quam generi *hominum* fructuosa putantur (CIC., *De or.*, II, 84) — Fremitus *indignantium* tota curia erat (TIT. LIV.) — Clamore diversa *rogitantium* aut incerta *respondentium* omnis ora compleri (TAC.) — Hominum generi universo cultura agrorum est salutaris (CIC., *Sen.*, 16) — Ingenia *Graecorum*; Consuetudo *Graecorum* (CIC., *Verr.*, II, 66, 159) — *Atticorum* antiqua comoedia (CIC., *Off.*, I, 29, 104) — Doctrina *Atheniensium* (CIC., *De orat.*, III, 11, 43) — Victoriae *Atheniensium* — Eruditio ac doctrina *Romanorum* — Discrepantiae *verborum* — Ordines *temporum* (CIC., *Brut.*, IV, 15) — Studium *litterarum* (CIC., *Pro Sest.*, II, 110) — *Historiae fides* (CIC., *Ad Q. fr.*, I, 8, 23) — Conversiones *rerum publicarum* (= politicae) (CIC., *De div.*, II, 2, 6) — *Philosophorum* sententiae (CIC., *Nat. deor.*, I, 3, 5) — *Mathematicorum* ratio (CIC., *De Fin.*, V, 4, 9) — *Civium* (= *civilia*) iura — *Civium* (= *publica*) libertas — *Omnium* (= *publica*) salus — *Omnium rerum* (= *generalis*) perturbatio — *Omnium rerum* (= *extrema*) inopia — In te *omnium* coniuncti oculi sunt — *Naturae lex* (CIC.) — *Naturae* principia communitatis et societatis humanae (CIC.) — Vitia *adolescentiae*.

Propositio adiuncta pro participio aut gerundio.

Propositione adiuncta non invenuste redditur participium aut gerundium patrii sermonis.

EXEMPLA: Timotheum, clarum hominem Athenis et principem civitatis, ferunt, *quum coenavisset* apud Platonem eoque convivio admodum *delectatus esset*, *vidissetque* eum postridie, dixisse: «Vestrae quidem coenae non solum in praesentia, sed etiam postero die iucundae sunt» (CIC., *Tusc.*, V, 35) — Ptolomaeus, pulso

Antigono, *quum regnum totius Macedoniae occupasset*, pacem cum Antiocho facit (IUST., XXIV, 1) — Claudius bello primo punico, *quum praelium navale committere vellet*, auspicio more maiorum *petiisset*, et pullarius non exire cavea pullos *nuntiasset*, abiici eos in mare iussit dicens: «Quia esse nolunt, bibant (VAL. MAX., I, 4, 3) — Demosthenem scribit Phalereus, *quum dicere nequiret*, exercitatione fecisse ut planissime diceret (CIC.) — Rex, postquam bello Datamem opprimi non posse *animadvertisit*, insidiis interficere studuit (CORN. NEP.) — Si videris hominem felicem inter adversa, nonne admiraberis eum? (CIC.) — Telo si primam aciem *praefregeris*, reliquo ferro vim nocendi sustuleris (IUST.).

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

De Aluisio Orione Patre Miserorum

Vir amplissimus atque dignus quem memoremus fuit Aluisius Orion Dertonensis, Orioninorum, quos appellant, sodalium creator atque moderator.

Is igitur anno MDCCCLXXII humili loco apud Dertonam natus est: pater enim vias silice sternebat, mater autem umbratibus muneribus in Urbani Rattazzi aedibus est functa. Cum autem adhuc praetextatus esset, patri, dura in opera incumbenti, auxilio libenti animo esse solebat; at, quandoquidem parentes inopia laborabant, atque is Christi sacerdos creari cupiebat exoptabatque, paganum curionem, ut ab eo linguae latinae elementa ediscret, frequentare coepit.

Ali quanto igitur temporis spatio interfecto Dertonan venit, ibique, cathedralis ecclesiae aeditus factus, vitam, quadam futuri spe nixam, apud canonicos trahens, seminarii ludos diligenter frequentabat. At

res, memoria profecto digna, tunc patuit, quae cum Orionis ingenii index, tum futurarum rerum omen est habenda.

Etenim nummulis, quos, memorato munere explicando, sibi comparabat, et rebus suis et adulescenti cuidam, sacerdotali officio fungi cupienti, consulebat. Cum vero adhuc puer esset, Sodalicii Salesiani se socium futurum speculam quandam aluit; at postea suum quidem, sed persimile ingressus est iter. Quam ob rem, volvendis annis, factum est ut Salesianae atque Cottolengiae Societatum dogmata miscuerit; nam in pueros erudiendos instituendosque et in omnigenos puerulos pannosos, a suis in ipso rerum discrimine destitutos eaque causa huc et illuc deambulantes et temere vitas agentes, iuvandos summa cum sollertia incubuit. Quam metam quo facilius contingeret cum apud Italos, tum in Argentina, quam appellant, Libera Civitate in aliisque orbis terrarum regionibus instituta exaedificavit.

At tantus Vir nuperrime inter omnium lacrimas et desideria mortuus est! Nam, cum, valetudinis confirmandae renovandaeque gratia, in Liguribus moraretur, improviso cordis vitio labefactatus est, et piissime, sicut vixerat, vita est defunctus.

Funus atque exequias qualia meruit habuit: etenim Aluisio Orioni, viro quam qui maxime modestiam summae dignitati miscenti, honestam magnificamque pomparam sacer ordo, magistratus populusque universus fecerunt, eiusque corpus usque in «Ristocchensem» quam nuncupant, «Domum» comitati sunt.

Illinc vero, postquam absolutionem amplissimus pater purpuratus Mediolanensisque archiepiscopus, Schusterus nomine, perfecerat, in Stephanianum templum adlatum est eius corpus, quod, in funebri collocatum tabulato, conventus atque multitudo sunt venerati atque Gorla curio benedictione honestavit.

Dum vero pompa templum petit, ex

complurium domorum fenestrarum faces et vexilla obiecta sunt; praeterea non rerum necessitas, non aetas, non valetudo quemquam retardavit quominus veniret, postremum valediceret, atque postremam grati animi significationem admirationemque praeberet. Quid plura? Ignotos quoque festinata eius mors dolore affecit!

Quoniam vero «non cum corpore extinguuntur magnae animae», placide quiescas o colende Christi sacerdos, o lucidum Christianae pietatis decus, tuaque exempla imitentur qui miseris succurrere didicerunt: miserorum enim pater tu vocari potes.

Prof. IOHANNES BAPT. BELLISSIMA.

VERGILIUS AD CILNIUM MAECENATEM

Quamvis nulla mihi Pario de marmore sedes emineat, nec stet regali mensa paratu, nec mihi sublimi sinuet se porticus arcu, sum nimium felix. Procul urbibus atque tu[multa], hic datur, hic puri libertas aurea caeli.

Debueram tecum Maecenas, usque manere? Nobis difficile est imitari gaudia, corde nil referente; semel factos inducere vultus difficile est nobis; animus ni suggerat intus, nec bene perfuso risus componitur ore, nec bene castaliae respondent verba Camenae.

Odi servorum vulgus strepitusque viarum. Sola quies nobis placeat quaesita labore assiduo; stabiles exopto figere tandem rure lares. Tantum concedant Numina vati! Parva equidem, fateor, tamen illibata voluptas: nec mea mens alia stimulata cupidine flagrat.

Commodius quid rure? Quid? Anne sit apta [quieti] Roma? Bonis studiis Tyberini fluminis unda? Iam nimium, Maecenas, iam concedis amorem ingeniumque gravi cause illaetabilis urbis! Huc animum sensusque tuos compelle benignus, arbitrio compelle meo; iam rure quiesce. Hic tibi liberius nobiscum tempus agetur, quale nec in rigido luco traducitur Haemi.

Nil opus invidia est; procul absit gloria vulgi, quae breviter volitans mutantes occupat auras.

Sic tu secretis possis bene vivere silvis, ut tibi nulla diem perturbet cura serenam! Iamque veni: renuens ingratos linque labores; florigeris laus magna tibi tribuetur in agris.

* * *

Rura fuere Deis primum quaesita benignis, rura reluctant potuerunt pellere morbos, rura quidem recreant animos studiumque co[lendi], quaslibet et curas medio de corde resolvunt. Aspice curvatos pomorum pondere ramos, ut sua, quos peperit, fetus vix sufferat arbor; aspice labentes arguto murmure rivos. Ecce petunt rupes, saltantes saxa capellae, en referunt haedis praebentes ubera lactis. Pastor iucundum modulatur arundine carmen. Interea, vario redimitae flore puellae dolia demergunt rimosi fontis in undas, et resonant crebris silvae mugitibus altae.

* * *

Iam tu, Maecenas, quoniam munimen adauges et mihi permittis deducto ludere versu, annue frugiferosque veni stimulatus in agros. Hic non, cum primo sparguntur lumine colles, ante fores queritans densatur turba clientum; hic non consurgunt motus trepidique tumultus, qui tristes luctus pariunt caedesque cruentas (heu quot lugentes viduas puerosque relictos commiserans vidi!). Lascivus pectora luxus non hic oblitus iuvenum, dissuasor honesti. Non hic saltantem vulgo plaudente Cytherin cernes, subtiles quae vestes molliat atque languidulis oculis plures desperdat amantes. Ignorant tacitae silvae viridesque recessus turpia quae manant e celsis crimina rostris et qua fulgentes madeant cuppedine fasces. Callida quae doceat structae fallacia mentis rugosi agricultae ignorant duriq[ue] bubulci.

At quid vana loquor? Quid te succendere [conor]?

Nostras qui viridi segetes circumdare sepe consentis, nec non validos submittere tauros, huc, huc, Maecenas, propera: celebraberis hic [tu].

* * *

Omnia nunc rident, exsultans terra decoram induit vestem, florens nunc parturit arbos, avia nunc resonant avibus virgulta canoris.

Te nunc grata rogat, validum te Musa patro[rum] num, ut tandem venias nostrum visurus agellum, hospes et accipias toto de pectore munus, quo te, Maecenas, cupio dimittere laetum.

* * *

Nec calamis vates sileant, nec voce magi[stri].

Cantabunt coram Moeris fidusque Menalcas et calamos Mopsus iunctos inflare peritus et Damon, docilem sibi qui construxit avenam. Plaudent concordes Lycidas et Lyctius Aegon, saltantes Satyri peragunt paeonia circumque alte conclamans astabit lecta iuventus. Daphnium pastorem nos ut laudavimus olim, Daphnium, qui tenero sensu nos semper amavit institutique leves thiasos inducere Bacchi, Numinis ac frontem nigris redimire corymbis, nostrum praesidium te nunc tollemus ad astra.

* * *

Nondum iussa dedi. Subito si veneris, ultro silvestrem gracili modulabor arundine Musam. Tunc ego cantabo corylos humilesque myricas, irriguos saltus, fecundi munera ruris, convales nigrasque specus Dryadesque sorores.

Te duce cecropii mellis redolentia dona, pampinea vites et gramine pascua laeta exsequar. Ipse canam segetes, quo sidere glebas vertere conveniat; pecori qui cultus habendus, nec non arboribus. Cereris blandique Lyaei instituam ritus. Descendent montibus altis capripedes Fauni, capti dulcedine cantus. Pan quoque descendet praecinctus cornua pinu, Pan qui pastores vigilantes curat et agnos.

* * *

Huc ades, o nostrum columen: tibi florea [plenis] serta ferunt Nymphae calathis; tibi munera Phyllis iamque parat; dulces miscet Mnasylos odores; narcissos pueri connectunt suavibus herbis consparguntque vias ramis. Formosus Alexis, qui nuper stolidum sprevit Corydonis amorem, obvius occurrens celebrabit nobile nomen,

flores ipse gerens. Maecenas, nonne videtur esse satis, quamvis tu regibus ortus, honoris? O tantum libeat tecum tibi sordida rura

atque humiles habitare casas et figere dammas
balantumque gregem rivo mersare salubri!

Sis bonus aspiraque mihi, dum carmine Divis
grates persolvam! Maecenas, urbe relicta,
huc accede libens: te vult cantare Menalcas,
teque volunt nostri tandem cognoscere colles.

Post haec, Romulea, Maecenas, urbe manen-
[bis]
linquere nec poteris spatiose Caesaris aedes?
Quid iuvat o toties nitidas ascendere scalas?
Quid residere iuvat, longas audire querelas
cum debes, mersum latebris educere verum?
Adde, quid alterius sub nutu flectere frontem,
quidve domus prodest Phrygiis innixa colum-
[nis]
Quod tu marmorei egrediaris limine tecti,
anxia sollicitis curis non corda levantur,
non minus ex oculis lacrimae funduntur amarae.

Ambiguis quoniam studiis curisque gravati
vivitis (haud dubito totam recludere mentem)
praeveniens annos, urget vos cana senectus.
Nunc tu, Maecenas, facilis dignare quod opto:
iamque veni; nostros placeat descendere clivos.
Quem mihi si cupido tantum concedis honorem,
ut nostras venias segetes visurus optimas,
Maecenas, causae nostrae defensor, amice,
qui nobis tacitis permittis vivere silvis,
o liceat, praeter genialis dona Camoenae,
quae sum pollicitus, cyathum praebere Falerni
solventis curas! Liceat sub palmitis umbra
demonstrare tibi quam pro sit saepe virentis
arboris, immemores urbis, prandere sub umbra!

Ast ego quid fando pergo consumere tempus?
Iam te gramineo venientem tramite cerno,
clivos per virides; avidas coniungere dextras
iam datur atque frui tandem sermone decoro.
Iam facis o quodcumque volo; meus usque ma-

[nebis.]

Prosequar interea, Maecenas, ipse iuvencis
exercere solum; palis adiungere vites
agrestesque piros cultu mollire; subactas
exsaturare fino terras, dum nubila pendent.
Nec me poeniteat, cum serus ovile revisam,
si qua iacebit ovis, partu resoluta recenti,
huc humeris portare meis foetumque trementem
ferre sinu matri. Clausis praesepibus unquam

non deerunt frondes; nec erunt compendia lucri,
destruat ut niveos venalis caseus agnos,
nam mihi praecipuo foetura coletur amore.

Est mihi, praeter agros, excultus floribus hor-
[tus,

quem prope pellucens allambit gramina rivus.
Hic fragrans laurus densas invitat ad umbras
lectorique parat faciles iucunda lepores,
lumine dum ramos distentos Phoebus inaurat,
frondes inter ovans. Liquidas hic pendet in un-
[das

lenta salix, apibus quae totum pascitur annum.

Haud procul inde, domus queru celatur
[opaca,

parva domus, domino placidum quae praebet
[asylum.

Hanc circum volitant niveae, mea cura, colum-
[bae;

hanc nostram reduces dicunt servantque pena-
[tes.

VINCENTIUS POLYDORI.

CERTAMINA POËTICA

His diebus cognitus est exitus certami-
nis poëtici ex legato Ruspantinio a Studio
Urbis indicti. Victor renunciatus est P. VI-
CTORIUS GENOVESI noster, carmine cui
titulus: *In mortem Guillelmi Marconi*. Clari-
rissimo viro amplissimas gratulationes pro
meritis deferimus.

De certamine autem Hoeufftiano anni
MCMXXXIX, ab Academia Regia Disciplina-
rum Nederlandica relata sunt quae se-
quentur:

« De viginti duobus carminibus ita est
iudicatum:

Praemium aureum reportavit Carmen
c. t. *Iuventus Renovata*. Sumptibus Legati
in volumen recipientur carmina q. t. *De
Latinis Musis excolendis Sermo et Soli-
tudo*, si poëtae eorum scidularum aperien-
darum dederint veniam.

Sequuntur omnium carminum nomina:

1. *Mors discipuli mei in fluctibus*. 2. *Pi-
latus*. 3. *Balnearia*. 4. *De Latinis Musis*

*excolendis Sermo. 5. Solitudo. 6. Idyllium
Natalicum. 7. De Miraculis in Nativitate
Domini Romae factis. 8. Pax. 9. Labor
in Campis. 10. Iuventus Renovata.
11. D. Alagherii — Francisca Ariminensis.
12. Filioli et Pater. 13. Pontificis pre-
atio. 14. Via Cassia. 15. Ad Europam de
Publica Pace. 16. Pax una triumphis in-
numeris potior. 17. a) Pacis imploratio;
b) Flos in muri foramine. c) Tritici se-
mentis. 18. Evangelii Praecones. 19. Val-
lis Lacrumarum. 20. Tenebrae et Lux.
21. Romani perpetuque Imperii fundato-
res. 22. Callicratidas.*

Ad novum certamen cives et peregrini
invitantur his legibus, ut carmina latina
non ex alio sermone versa nec prius edita
argumentive privati nec quinquaginta ver-
sibus breviora, nitide et ignota iudicibus
manu scripta ante Kal. Ian. a. MCMXLI
mittantur ad “het Bestuur des Koninklijke
Nederlandsche Akademie van Wetenschap-
pen, Trippenhuis, Amsterdam”, munita
sententia, item inscribenda scidulae obsi-
gnatae, quae nomen et domicilium poëtae
indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit,
si poëtae in transscribendo portable prelum
britannicum (*type-writer*) adhibuerint, ac
si, quemadmodum in editionibus poëtarum
fieri solet, sextum quemque versum nu-
mero insigniverint.

Praemium victoris erit nummus au-
reus quadringentorum florenorum. Carmen
praemio ornatum sumptibus ex Legato fa-
ciendis typis describetur eique subiungetur
alterum laude ornatum, si scidulae ape-
riienda venia dabitur. Id autem ante Kal.
Iul. proximas fieri debet.

Exitus certaminis postremum in con-
ventu Ordinis mense Aprili pronuntiatur,
quo facto scidulae carminibus non in
volumen receptis additae Vulcano tra-
dentur.

P. SCHOLTEN,

Ord. lit. acad. reg. ab actis.

Hisce addere nos possumus utriusque
carminis magna laude ornati unum esse
auctorem, IOSEPHUM MORABITO, nostrum
et ipsum, cui, pariter, gratulamur ex
animo.

A. R.

ROMA SACRA

**Homilia a Ssno D. N. Pio Pp. XII inter
Missarum sollemnia in templo Vati-
cano dicta die Christi anastasi sacra
huius anni MCMXL.**

VENERABILES FRATRES AC DILECTI FILII,

« Exsultet iam angelica turba caelorum; ex-
sultent divina mysteria... gaudeat et tellus tan-
tis iradiata fulgoribus! » (*Miss. Rom.*, Sab. S.).
Silent maestissimae sacrorum vatum lamenta-
tiones, ac templa, deposito squalore, festivis
concentibus festivisque ornatibus resident,
ipsumque Crucis trophyum victoriae palma de-
corat. Divinus enim Redemptor de triumphata
morte vitor surrexit, nobisque, quasi sacram
hereditatem, vitam, pacem, salutem attulit.

Quodsi in praesens populi fere omnes, vel
saeviante bello exagitati, vel futuri temporis di-
scrimina reformidantes, anxia trepidatione labo-
rant, Paschalia tamen Sollemnia mortalium ani-
mos ad superna gaudia revocant, easque revi-
viscere augerique iubent, quibus tantopere indi-
gemus, christiana fidei, spei caritatisque vir-
tutes. Atque utinam, Venerabiles Fratres ac Di-
lecti Filii, quemadmodum hodie Nostrum ve-
strosque animos caeleste gaudium perfundit hi-
sce virtutibus altum, ita ubique terrarum homi-
nes universi sacram huius diei admonentem vo-
cem audiant, sacraque illa afficiantur laetitia,
quaenam potest huius vitae mulcere dolores,
lacrimas detergere, anxitudinesque pacare. Eos
equidem summo Nos maerore recogitamus, quo-
rum menti divinae veritatis lumen non affulget,
quibusque datum non est in aerumnis, quibus
anguntur, e supernis sedibus spem haurire falli
nesciam verique nominis solacium. Eos igitur
omnes ut mortis Triumphator superna sua luce
collustret precamur, ac flexanima gratia sua ita



renovatos conformet, ut et ipsi paschalia adipiscantur gaudia, pignora ea quidem sempiternae beatitatis. Singulis nempe hominibus sacra Iesu Christi Anastasis, quam hodie festivo more recolimus, spiritualis renovationis principium exstet, ut ex ea, quod historia luculentissime edocet, novus reapse saeculorum natus est ordo.

Etenim, postquam «devicto mortis aculeo» (Hymn. Ambr., *Te Deum*), Christus Dominus credentibus aperuit regna caelorum, altera aetas, eaque felicior, universo humano generi affulxit. Siquidem, veluti cum primo mane e proceris montium verticibus sol emergens, nebulas caliginesque dispellit, ac lucem, calorem vitamque reducit, ita Iesus Christus e sepulcro vivus resurgens «fugat scelerata, culpas lavat... reddit innocentiam lapsis... maestis laetitiam; fugat odia, concordiam parat...» (*Miss. Rom.*, Sab. S.). Apostoli, qui pavidi antea ac trepidi suum deseruerant Magistrum, postquam eius de inferorum potestate victoriam mirabundi videbunt, nutantem fidem suam confirmarunt, suisque in animis paene restinctam exsuscitarunt divini amoris flammarum. Superna igitur virtute fredi supernaque gratia adiuti, ad novam illam, quam a Iesu Christo spiritualem vitam hausebant, participandam cum ceteris omnibus sese compararunt, ad universumque terrarum orbem non cruentantibus armis, sed veritate caritatem subigendum. Quapropter «in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum» (*Ps. XVIII*, 5; *Rom.*, X, 78). Pagi, oppida ac frequentissimae urbes, novo lucis appulsu experrecta, novoque amoris afflato excitata, se renovanda senserunt. Atque ubique gentium sanctissima iidem Apostoli sua ponunt vestigia, inibi, quasi exorto vere novo, miri sanctitudinis flores dehiscunt suavemque odorem redolent; invicti nempe christiana fidei confessores propagatoresque, candidae virginis, quea sua castimoniae lilia illibata servant, ac strenui martyres, qui victoriae palmas suo profuso sanguine consecrant. Martyres dicimus tam plurimos, qui hac praesertim in alma Urbe Romani imperii christianique nominis capite, Catholicae Ecclesiae fundamenta suo cruore solidarunt; quique, mortem victoriamente anhelantes, tam intrepido pectore rugientibus leonibus obstitere, ut Sancti Ignatii, Antiochenae Ecclesiae Episcopi, grandiloqua illa verba unicuique eorum tribui queant: «Fru-

mentum Christi sum; dentibus bestiarum mortal, ut panis mundus inveniar!» (S. Hieron., *De Script. Eccles.*, c. 16).

Atsi, ut diximus, Ecclesiaeque annales praedicant, Iesu Christi de morte triumphus mirandam prorsus attulit totius mundi restorationem renovationemque, nos etiam in praesens, qui divini Redemptoris persecuti vestigia volumus, spiritualis restorationis formam in nosmet ipsos debemus studiose laborioseque referre. Hoc quidem — ut periclitando novimus omnes — haud facilis res est; nam eiusmodi renovatio virtute christiana solummodo efficitur; virtus vero, cui humana infirmitas obstat, vim postulat atque imperat, ut suam eadem quisque vitam informet.

At vero Christus Dominus, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, non modo nobis praecepta dedit; non modo eadem praecepta mirabili suea vitae exemplo confirmavit, sed superna etiam auxilia nobis pollicitus est, nobisque demisse enixeque poscentibus benignitate maxima continententer eadem dilargitur. Iesu Christi igitur asseclis nihil difficile volentibus; immo etiam, ut experiundo novimus, quo acrior collectatio erit adversus «potestatem tenebrarum» (cfr. *Luc.*, XXII, 53; *Ephes.*, VI, 12), eo dulcior, eo suavior victoria. Omni ope igitur omniq[ue] nisi contendendum est «ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus» (*Rom.*, VI, 4), utque «abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo» (*Tit.*, II, 12). Ita quidem ut «expoliantes... veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem eius, qui creavit illum» (*Col.*, III, 9-10) hoc reapse feliciter fiat «ut et qui vivunt, iam non sibi vivant sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit» (*II Cor.*, V, 15).

Si hac agendi ratione, quam, ut vidimus, Apostolus gentium tam dilucide describit vehementerque commendat, vitam conformabimus nostram, sacra Paschatis sollemnia id nobis singulis universis afferent, ut indefatigabili labore vivam in nobis ipsis Iesu Christi imaginem nostris moribus exprimamus, atque adeo in procelsis ac tempestatisbus, quibus hodie mundus formidolose concutitur, in aerumnisque omne genus, quibus tantopere in praesens hominum

vita laborat, superna fruamur pace, immortalium bonorum spe reficiamur, ac caelestibus repleamur solaciis. Etenim, «si commortui sumus, et convivemus; si sustinebimus, et conregnabimus» (*II Tim.*, II, 11-12); si compatiimur, et conglorificabimus (cf. *Rom.*, VIII, 17).

At aliud etiam in causa est, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, cur vobis cunctisque hominibus spiritualem eiusmodi per Christum renovationem restorationemque vehementer commendemus. Hoc videlicet necessarium opus non modo privata singulorum vita privatumque bonum postulant, sed totius etiam humanae consortio supra salus. Idque potissimum hoc temporum discrimine, dum tristissimae res oculis obversantur omnium ac vel formidolosiores in posterum reformidantur. Nostis enim quae nobis aetas inciderit. Populorum concordia misere diffracta iacet; pacta converta, quae data utrumque fide solemniter confirmata fuere, interdum ex una parte solummodo, nec mutuus rationibus antea transactis definiteque compotis, vel immutantur, vel omnino infringuntur; ac vox silet fraternali amoris fraternaeque necessitudinis. Quidquid hominum mens tentando experiendoque peperit, quidquid est virium, quidquid fortunae divitiarumque, id fere omne vel ad bellum gerendum, vel in armorum apparatus confertur crescentem cotidie magis. Quae ad populorum prosperitatem ad auctioremque rerum progressionem gignebantur, ea in praesens, mutato cursu mutatoque ordine, in eorumdem extitum ruinamque convertuntur. Languent, intercepta insidiis omne genus, pacifica commercia atque adeo tenuiorum praesertim civium classes rerum inopia laborant. Ac praeterea — quod deterius est — dum odio similitateque infuscantur animi, multis iam locis, terrae, maria ipsumque caelum, excelsa sempiternae patriae imago, fraterna caede foedantur. Et iura etiam, quibus exculta gentes inter se continentur, non semel violata summo maerore cernimus: unde misere est factum ut urbes non munitae, agricolarum pagi ac vici igneis sint glandibus exterrita, incendio absumpta, ruinisque vastata; utque inertes cives, ac vel ipsi infirmi, vacillantes senes innocentesque pueri e domo sint deturbati ac saepenumero morte confecti.

Quibus quidem ingavescentibus malis quota spes remedii reliqua erit, nisi quae oritur a Christo, ab eius afflato, ab eiusque doctrina,

quae in ipsis Civitatis venas saluberrime influat? Christus siquidem unus sua lege potest suaque gratia ut privatos, ita publicos renovare ac redintegrare mores; iustum iurum officiorumque aequilibritatem restituere; immodicum potiundarum rerum studium temperare; contine cupidinem; ac districtam iustitiam effusa caritate sua consummare atque perficere. Qui potuit nempe imperare ventis ac tempestatis, ferique maris undas sedare tranquillasque reddere, ille unus itidem potest hominum voluntates ad concordiam fraternumque amorem infllectere; idque efficere ut — rebus omnibus inter gentes non vi, sed veritatis, iustitiae caritatisque ratione sponte feliciterque compositis — excidant gladii ac fluant arma de manibus, quae amico foedere tandem aliquando coniungantur.

Nos igitur, qui, ut paternum erga omnes gerimus animum, ita maerentes filiorum luctus angoresque participamus, a divino Redemptore, hoc sollemni laetoque die, supplici prece contendimus ut Regibus ac Principibus cunctoque populo christiano pacem, concordiam et unitatem largiri dignetur (cf. *Litan. Sanctorum*). Amen.

ANNALES

Europaeum discrimin

Auxilia ab heroicis Finnis, ut in superiori eventuum recensione nostra diximus, invocata, promissa equidem sunt ab Anglis Gallisque, qui tamen ea mittere nequiverunt, negante Scandia eorum transvectionem per suum territorium, quod in neutris partibus esset. Suecia tantum se pacis interpretem esse posse cum Russia declaravit, ad quam Finni misere coacti sunt. Quae vero pax invicto populo imposita! Profecto Russicae ditioni addicta sunt Careliae hystris cum Vipuri urbe, Viborgi sinu insulisque, Ladoga lacus ripae ad occidentem solem et septentrionem spectantes cum urbibus Kexholm, Sortalava, Suojarvi; plures insulae Finnici sinus; territorium ad Merhjarvi orientem cum urbe Kuolajarvi parteque Rybatchi,

quae tamen verum statum reapse mutare non valet. Ulteriores eventus dies proxime sequentes patefacient.

POPLICOLA.

LIBRORUM RECENSIO

G. LEOPARDI, *Canto notturno di un pastore errante dell'Asia*, tradotto in distici elegiaci latini da Ignazio Intravaja (Palermo, Sandron, 1939).

Nunquam apud Italos defuere qui poëtarum italicorum carmina latinis versibus exornare studebant. Ut, veteribus omissis, quorundam tantum nostrae aetatis nomina attingam, A. Gandiglio, A. Graziani aliique nonnulli Carduccii carmina, C. De Titta elegos romanos G. d'Annunzio, A. Bartoli carmen in Vict. Hugo eiusdem d'Annunzio verterunt. Quod opus haud quidem leve cur isti viri subierunt? Num eo consilio ut exteri, qui minus nostram linguam callerent, nostra carmina degustarent? Id se facere voluisse fatetur F. Palata, qui tot Bohemicorum carmina non sine elegantia nuper vertit (cf. *Alma Roma*, 1937, p. 89) et F. X. Reuss, qui sancti Alphonsi de Ligorio versus vulgari neapolitanorum sermone conscriptos latinis versibus aptavit, quo plures eos legere possent. At quid de ceteris? Mihi videntur suam tantum versus conscribendi peritiam ostendere voluisse et exemplo manifestum facere tantam latinae linguae et vim et gratiam esse, ut nostrae quoque aetatis sensus omnes ea usi exprimere valeamus. Id, ni fallor, Ignatius Intravaⁱs sibi proposuit quum notum illud idemque dissimum dolorisque plenum Asiatici pastoris in elegiacis distichis convertit. Quod opus in quaue parte laudaverim; quis enim hunc pentametrum laudet:

Conspicit et pecudes grama fluminaque?
Auctor nimis his clausulis, quae propertianae quodammodo dici possunt, indulget et quandoque, licet iusta quantitas adhibeat, nonnihil passim invenitur quod a latinitate latinisque auribus abhorre videatur. Hic versus recti sunt; unum tantum quantitatis errorem irrepsisse animadvertis in versu:

Quidnam infinita haec solitudo? ipse ego quid sum?

quem non eum quidem esse reor ut in exemplum adduci possit. Praeterea in dedicationis disticho:

Parthenope, cineres, animam, arx fulgida caeli
haud iure *animam* ante *arx* nulla elisione auctor posuisse videtur. Verum sunt versus plerumque venusti, ac fere semper ita faciles, ut admiratione quadam adficiaris, quum videas hoc Leopardi carmen tam lepide latina veste exornatum. Inceptam viam Intravaja ne deserat!

I. M.

AEMILIUS PASETTO. *Per florea prata, Liber ludorum in puerorum usum* (Mediolani, in aedibus Caroli Signorelli — Ven. Ital. libell. 4,50).

En liber plane singularis et utile dulci optimae miscens. Latina eaque facili neque incondita oratione omnino scriptus, mores et instituta Romanorum praecipua atque figurarum representatione longe lateque confirmata describit, colloquia interserit, commode dicta, sententias, aenigmata, iocos. Auctorem quae sibi proposuit acu tetigisse asserere non dubitabo, primum nempe ut adolescentibus cum varietatem, tum rerum formas traderet, quo facilis erorum mentes ad Romanorum vitam et historiam perdiscendas allicerentur; deinde primicias quasdam et quasi multarum rerum libamenta offerret, quibus via ad latinam linguam simulque ad latinitatis studia excolenda ipsis muniretur. Velim librum hunc late in primarum latinarum litterarum ludos inductum, aut saltem tironibus a parentibus, loco tot inutilium et inficitorum librorum, dono datum; neque id scribentem decipi me inani gloria quis putet, quod per haec prata florem aliquem ab *Almae Romae* campo transductum aut inventum deprehenderit; pauca enim sunt, eorumque origo, ut aliorum, silentio praeteritur...

f.

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

ALMA ROMA



Per.
Lat
011

QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



VARIA

**Quantum intersit ad conservandam
Rempublicam ut ratio divini cultus
atque Religionis habeatur.¹**

Quicunque principes atque Republicae semetipsas conservare cupiunt, in id unum prae ceteris incumbere debent, ut verum religionis cultum recte instituant et venerentur; nec certius indicium de religionis alicuius ruina atque interitu unquam habere poteris, quam si in ea divinum cultum despectui haberi ac sperti cognoveris. Id vero, ut ita se habere intelligas, observa cui fundamento Religio innitatur eius loci in quo unusquisque nascitur, quod omnis cultus religiosus alicui fundamento insit. Gentilium religio innitebatur responsis oraculorum, aruspicum, et coniectorum, ex quorum instituto omnes ceterae ceremoniae atque sacrificia dependebant. Nam quum crederent eum Deum, qui sibi vel faustum vel infastum quippiam praesagire novisset, id ipsum quoque tibi posse largiri, templa, sacrificia ac supplications illis decreverunt, quibus eos variis ritibus versabantur; atque ita fiebat, ut oraculum Delphicum et Iovis Ammonii in universo prope orbe hominibus timori et venerationi esset.

Sed postquam eadem haec oracula coepere imperio respondere, animadverterunt homines dolum subesse, nec modo ullam illis fidem amplius habuerunt, verum etiam impii ex ea re facti sunt, et ad omnia perturbanda prompti. Itaque in id incumbere debent quicumque Republicae aut Regno alicui imperant, ut eius religionis, quam ipsi colunt et venerantur, fundamenta sancta tectaque conservent; qua quidem re cives suos pios devotosque efficient, et aptos ad concordiam colendam. Quaecumque

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

ergo in republica eo spectant, ut ad fidem fundamentis religionis eius conciliandam facere videantur, ea omnia sapientes reipublicae gubernatores fovere debent, idque tanto magis curare debent, quanto magis sapientes et rerum naturalium periti fuerint, quum id a sapientibus viris observatum esse noverimus, ita quidem, ut in falsa quoque religione miracula approbarint falsa, si modo eo spectarent, ut hominibus Religio quaedam ac pietas imprimetur. Huiusmodi apud Romanos multa extiterunt... Quod si haec tam diligens cura divini cultus a Reipublicae Christianae principibus observata esset secundum primam institutionem et praecincta Eius, qui illam nobis primus tradidit, longe maiori felicitate ac pace in orbe Chrisiano frueremur.

Pro iudicibus mensarum elegantibus

ESCARUM ORDO:

Farina domi subacta et concisa, butyro condita caseoque adpersa.

Obsonia varia fricta.

Artocreas ex faseolis.

Coturnices veru assae.

Latex mali medici gelu concretus.

Aenigmata

I

Paucis notus avus liqui post fata nepotem,
Pelidae nemo quo mage carus erat.
Nomen idem teneo; me scena requirit agendas
ad partes: plausum, grata corona, para!

II

Sum nomen neutrum? Sic nobile dixeris un-
[guem,
quod terris Oriens venditat Occiduis.
Feminei fio generis? Sic dixeris ossa,
quae thoraca tui pectoris efficiunt.


FR. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo propo-
sita his respondent: 1) *Verres;* 2) *Dolor,*
Olor.

Ann. XXVII

Romae, mense Maio MCMXL

Fasc. V



ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXL est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

MARIA EUPHRASIA PELLETIER¹

Beatissime Pater,

Pro Maria a Sancta Euphrasia Pelletier dicturus veniam peto si paulo diutius Te morabor, quam Instituti nostri ratio pati videatur. Vocamur enim ad vitam, virtutes et miracula Dei Famulæ exponenda, quae quum agatur de vita valde actuosa per annos amplius septuaginta variis implicata vicibus, tribus illis catullianis chartis, doctis licet et laboriosis, quae sunt in votis fastidientium longiores libellos, ne summatis quidem possent attingi.

Maria a Sancta Euphrasia Pelletier ortum habuit in oppido Noirmentier Lucionensis Dioecesis in Britonibus pridie Kal. Aug. a. MDCCXCVI a parentibus Iuliano et Anna Mourrain honestissimo loco natis.

Quum autem eo tempore atrox illa saeviret in Gallia seditio, quae a Terrore nomen invenit, sacerdotibus passim in exi-

¹ Die II huius mens. Maii, in festo Dominicæ Ascensionis, Pius Pp. XII sanctorum honores in Vaticana basilica sollemniter decrevit Mariae Euphrasiae Pelletier, Sororum a Charitate pro mulieribus a virtutum vita redimendis Parenti. Ad beneficendissimam Dei Famulam commemorandam libenter hic edimus orationem, quam illustris vir Augustus Milani, S. Consistorialis Aulae Advocatorum Decanus, ad causam eius apud Summum Pontificem agendam in Consistorio habito die VII superioris mens. Martii dixit.

lium pulsis, nullus praesto fuit qui recens natae baptismi aquas administraret: itaque pater ipse in domestica aula coram matre infantem pie baptizavit, eique Rosa Virginiana nomen imposuit.

Vix undecim annos nata adeo iam in virtutum semita profecerat, ut non tantum inter suos, sed etiam inter cives exemplar christianaæ vitae appareret: quumque Rossae virtutes tantam iam futurae sanctitatis spem pollicerentur, oppidi Parochus censuit opportunum tempus maturasse, ut ad sacrae mensae convivium puella primum advocaretur. Caelestia haec dona auxit paulo post gratia confirmationis, quam accepit mense Aprili a. MDCCCVIII.

Mater eius demortuo viro maluit exsilio locum relinquere et in oppidum Soullans, ubi nata fuerat, remeare: filiam autem Turonensem in urbem deduxit et sororibus a Sancta Ursula instituendam atque erudiendam commisit. Florebat eo tempore in urbe Turonensi, neque ab Ursulinarum domo longe aberat, Monasterium Sororum a Charitate, quae S. Ioannes Eudes saeculo XVII condiderat, ut mulieres e virtutum coeno redemptas susciperent et ad Deum reducerent. Refugii Sacellum Ursulinarum tyrunculae saepe adibant ibique adstabant sacro Missae: claustris vero septa interdum ingrediebantur, opificia, caena-

culum, decubitoria lustrabant. Rosa autem nostra, dum miram monialium charitatem fructusque redemptionis eximios deminatur, pertrahi se paullatim ad earum exempla sectanda persensit. Quamobrem quum a magistris nonnunquam rogaretur quidnam adulta aetate esset actura, sanctimoniale sese futuram aperte respondebat.

Sed dilectissimae matris obitus et impedimenta a tutore opposita in causa fuerunt ut carissimum adolescentiae asylum ad tempus linquere Rosa necesse habuerit, nec prius ad optata claustra potuerit festinare quam decimum octavum aetatis annum complessset.

In quotidiano vitae cursu singulae eius virtutes ita inclaruerunt, ut non dubia illucescerent mirabilium operum signa, quae Euphrasia brevi erat patratura.

Et profecto, quum a quibusdam familiis Andegavensis non exigua pecunia eo consilio fuissest testamento relicta, ut in locum veteris Domus Refugii publicae seditionis impetu Andegavi iamdiu deletae novae eiusdem generis aedes excitarentur ad huiusmodi opus perficiendum, Euphrasie nostrae, quae eo tempore Turonensem Domum regebat, invocatum est praesidium.

Euphrasia, cui nihil erat antiquius quam novos labores adgredi ad animorum salutem, libentissime annuit, delectisque inter sodales quae destinati operis sibi essent adiumento, Andegavum venit ibique paratam sibi suisque domum ingreditur. Nec mora; paullatim, prout divina gratia corda movebat, confluere coeperunt poenitentes mulieres ad ostia Refugii, quas incredibili animi gaudio excipiebat Dei famula. Verum primis ab exordiis quot quantaque obstacula vincere coacta sit non facile quisquam enarret. Primum autem fuit rei familiaris penuria, asperrima quidem atque durissima rerum omnium egestas. Sensim vero poenitentium agmine multiplicato pressius in dies tum vestis, tum supellectilium, tum ciborum copia

deerat, atque eo ventum est, ut brassicis et herbis agrestibus vesci coactae fuerint.

Sed Dei famula mira constantia et fortitudine iniquum tempus sustinuit, nec ab ampliandis Domus finibus, tot licet pressa aerumnis, umquam cessavit. Haec plane humillima exordia fuerunt Instituti, quod hodie latissime per omnem christianum Orbem diffusum videmus.

Novi autem Instituti fama tam late iam fuerat propagata, ut multae ex Galliae Dioecesisbus similes domos suis in finibus condi expetierint; quare eodem anno prima iam sodalium colonia Lemans ad urbem deducta fuerat, quam brevi Pictaviensis atque Gratianopolitana domus eodem anno sequutae sunt. Anno autem MDCCXXXIII Metensis domus condita est. Novarum autem harum Domuum Praesules, ne forte totius Instituti incrementum atque bonum minueretur placuit uni eidemque auctoritati subesse. Quamobrem Sodalitatis Capitulum decrevit ut antistitiae singulae novis in dominibus constitutae Andegavensi Moderate traci subiicerentur.

Capituli placitum Episcopus De Montault ratum habuit, quo adusque saltem de re tam gravi Romani Pontificis decreta prodirent.

Hinc ortum duxit lucta illa plane acerbissima, quam Euphrasia nostra multos per annos ducere coacta est, ut nimirum romanae Sedis auctoritatem contra Episcopos a saniore doctrina devios constantissime tueretur,

Captuli placitum, quod De Montault Episcopus vehementer probaverat, constituendi nempe Generalem Antistitiam pro universis Refugii Domibus, quae in posterum conderentur, Romam primum fuit communicatum et Apostolicae Sedis auctoritati subiectum: nec dubitavit Vir Eminentissimus Odescalchi, eo tempore vice sacra Antistes Urbanus, suam auctoritatem apud romanam sedem interponere, ut liceret Andegavensi Domui Sororum a Charitate colonias per regiones christiani orbis quo-

cumque deducere, quae tamen uni eidemque Antistitiae oboedirent.

Dum haec Romae geruntur reliquae Communitates Sororum a Charitate, nescio quam immanem dominationem ab Euphrasia nostra expavescentes obstare huiusmodi proposito omni nisu conabantur; praecipue vero Turonensis et Connetensis domus, ut erant antiquitate potiores, ita vehementius hisce consiliis obstabant: nec defuere Episcopi qui Romam scriberent propositam generalis regiminis Constitutionem superbiae tantum consilio esse tribuendam, quasi vero omnes domos in unum corpus coalescere non esset apprime utile et toti Instituto et singulis domibus, aut posset in dubium revocari unum Instituti corpus, summum imperium quod attinet, unius animo et consilio regi et expedire et operare, ut bellissime cecinit Poëtarum Princeps: «οὐκ ἀγαθὸν πολικρονία εἰς κοίπονος ἔστω»; latine redditum «stultum semper multorum regnum».

Ceterum oppositas difficultates Gratianopolitanus, Metensis atque Pictaviensis Episcopi, rogati a Sede Apostolica sententiam plenissime refutarunt. Prae omnibus autem Episcopos Andegavensis, Euphrasie supplicationibus favens, litteras dedit ad Gregorium XVI, quibus mirabili facundia susceptum opus defendit.

Quibus redditis litteris, facultas eligendi generalem totius Instituti Antistitiam pontifica auctoritate tandem comprobata est.

Ex illo Refugii perplures domus non solum in Gallia, verum etiam apud exteriores nationes conditae sunt passim: in ipsa hac alma Urbe prima domus Refugii condita est. Mox singulis fere annis novae Andegavensis sodalium quasi coloniae deductae sunt in Americas, in Indias, in Brasiliam, in Chilenam regionem, in Africam, in Italiam, in Germaniam, in Britanniam, quae plane ubique gentium Dei famulae nomen atque charitatem dilatarunt.

Hic erat «Instituti a Bono Pastore»

status, quum Episcopus de Angebault ab Episcopo De Montault, cui successerat in sede Andegavensi, plane diversus omnes omnium in Dei famulam asperitates visus est velle superare. Is veteres renovans querelas et controversias, aegre ferens petitam a se generalis regiminis abrogationem nihil profecisse, Dei famulae auctoritatem oppugnare modis omnibus nunquam destitit; neque semel tantum ad domum Refugii sese contulit, tum ut palam et coram sororibus Euphrasie contumaciam et superbiam exprobraret, tam ut tyrrunculas hortaretur, ut domum illam et vota nondum suscepta desererent.

Durissima huiusmodi discrimina nihil aliud praestiterunt quam ut Dei famulae virtus in dies magis elucesceret, praesertim eius patientia, humilitas, charitas luce clarius enitescerent. Quamvis enim tam acerbe vexata, quamvis pluries tam male et contumeliose habita, nunquam tamen contra Episcopum questum edidit, nunquam debitam ei reverentiam negavit. Quae vero praecipue tot in adversis refulerunt virtutes Iustitia atque Fortitudo fuerunt, quibus Dei Famula innixa romanae sedis iura contra ipsum Episcopum assere atque defendere non dubitavit, eiusque conatibus constantissime obsistere, ne nimirum ullo modo laederentur concessa sibi a Romano Pontifice privilegia atque immunitates.

Quae omnia adeo splendidum virtutis eius testimonium praebuerunt, ut has tantum ob luctas et conflictiones Dei famula altarium honoribus digna visa sit.

Morti proxima adstantibus sororibus nihil magis commendavit, quam ut concordissime viverent et Romano Pontifici etiam in minimis oboedientes: lucernam esse pedibus nostris Sanctae Sedis oracula et lumen semitis nostris.

Post acerbissimos cruciatus, quatuor amplius hebdomadas invicto animo toleratos, Ecclesiae sacramentis refecta pla-

cidissime obiit a d. viii Kal. Maias anno MDCCCLXVIII, ingenti luctu provinciae et circumiacentium populum.

Sodales a Bono Pastore totaque civitas Andegavensis solemnissimo funere Eam extulerunt, et urbis magistratus in reverentiam tantae matris mortales eius ex vias intra Monasterii claustra in sacello Immaculatae condi permisit.

Nullum ab Euphrasia nostra relinqu poterat monumentum splendidius nec sanctitatis indicium perspicuus, quam mirum Instituti sui incrementum.

Anno MCMXXXIII, quo Beatorum caelitum honores Euphrasiae tributi sunt, Domus erant numero tercentum viginti; provinciae triginta quatuor; Religiosae millia octo quingentae octoginta novem, tyrones nongentae viginti due; sorores indigenae tercentum quadraginta quinque: Magdalena millia duo septingentae triginta septem: poenitentes millia viginti septem quingen- tae sexaginta duo: insuper aliae classes eorum, qui ab Instituto beneficiis omnis generis afficiuntur millia amplius quadraginta: his adde infirmorum circiter triginta millia, quorum valetudini sorores Instituti a Bono Pastore variis in nosocomiis adsistunt.

Post Dei famulae obitum fama sanctitatis per totum fere Christianum orbem quum percrebusset, confectis rite dioecesanis processibus et S. C. Ritibus tuendis exhibitis introducta est causa, et probatis luculentissime tum virtutibus tum miraculis, immortalis Decessor tuus Pius XI beatorum caelitum honoribus Euphrasiam nostram decoravit, summis efferens laudibus Servae Dei virtutes et pleniore ore laudans lumen animi, ingenii, consilii, tum singularem rerum agendarum prudentiam, patientiam in adversis cum mira animi magnitudine et christiana humilitatis laude coniunctas.

Nec multo post crescentibus in dies prodigiis, quae per Servae Dei intercessionem

a Deo patrata ferebantur, agitari copta est canonizationis causa, pro qua obtinenda duo proposita fuerunt miracula: primum instantaneae perfectaeque sanationis Aloysiae Pouget a gravissima peritonite bacillari; alterum instantaneae perfectaeque sanationis Honorinae Mochetti a gravissima peritonite tuberculari purulenta.

Illustris collega noster Fidei Promotor, religione officii ductus, multa, qua est ingenii subtilitate, in medium protulit, quibus nec morbi naturam, nec perfectam sanationem extra omnem prorsus dubitationem poni posse putavit. Sed in propositis difficultatibus diluendis facile negotium habuerunt sanctitatis Patroni.

Tanta enim luce fulget utrumque miraculum, ut quae evenerunt in persona Aloysiae Pouget et Honorinae Moschetti aut humanis opibus provenire aut naturae viribus tribui posse nemo sanae mentis dixerit.

Quapropter merito Sanctitas Tua die quarta mensis Iulii an. XCMXXXIX edixit «constare de utroque miraculo» et decreto diei vigesimae tertiae Iulii eiusdem anni pronunciavit «tuto procedi posse ad Dei famulae canonizationem».

Reliquum est, Pater Sanctissime, ut pedibus provolutus Tuis non solum Instituti a Bono Pastore et totius Eudisticae Familiae nomine, sed etiam nomine eorum qui sparsi per Christianum Orbum tot ac tantis a benemerentissimo Instituto afficiuntur beneficiis, enixe Te orem atque obtester, ut Beatam Dei Famulam Mariam a Sancta Euphrasia Pelletier solemani huius Apostolicae Sedis ritu Sanctorum Fastis quamprimum digneris adscribere.

Adv. AUGUSTUS MILANI,
S. Consistorii Advocatorum Decanus.

*Ita magis intelliges quaedam placuisse, si
quaedam displicuisse cognoveris.*

PLINIUS IUN.

HISTORICAE NOTAE¹

De Romana Republica a Regillensi pugna ad rogationem Terentillam.

Romulus fertur primus divisisse populum in patricios et plebeios. Plebs merebatur in exercitu cum patriciis, licet primas non ferret partes. Quum vero milites priisci Romani suo sumptu et arma et vestes et victimum sibi comparare tenerentur, crebris illis bellis plebs gravi aere alieno onerabatur. Lex autem erat, ut qui aës alienum solvere non possent, «nexus» poena tenerentur, qua et vinculis detineri, et vendi poterant, necari denique. Miserrima idcirco fuit primis Reipublicae temporibus plebis condicio; quapropter plebs ex urbe secessit in Montem Sacrum primum, deinde in Aventinum montem; sed consilio Menenii Agrippae a seditione revocata est, hoc pacto ut a plebe ipsa «Tribuni» deligerentur in plebis comitiis centuriatis, qui plebem tuerentur, idque caverent ne quid Patres adversus plebem decernerent.

Interim creati consules Postumius Cominius et Spurius ille Cassius, qui «foedus Cassianum» cum Latinis pepigit.

Volsci commoventur contra Romanos; Corioli, eorum oppidum, captum est virtute et opera Ca. Marci Coriolani, qui tamen, quum plebi non favisset satis in frumenti distributione, a Tribunis accusatus, pulsus traditur in exsilium; sed quum mox Volscorum dux factus exercitum hostium Urbi admovisset, et missi ad eum primum legati, postea sacerdotes frusta deprecati essent ne bellum patriae inferret, Veturia mater et Volumnia uxor impetraverrunt ab eo ut recederet; qui ad Volscos rediit, ubi fertur a quibusdam imperfectus, ab aliis vero senio confectus obiisse.

Plebs non acquiescit: cupit agrorum dominium. Spurius Cassius consularis dici-

tur rogavisse primus legem agrarium de agro publico plebi distribuendo, ideoque regni crimine damnatus necatus; inde renovatae plebis irae. Quum vicini Veientes Romam lassarent, Fabiorum familia id bellum gerendum sibi depoposcit, misitque in id trecentos et sex Fabios in armis et quinque clientum millia, qui omnes ad unum ab hostibus caesi sunt ad Cremeram flumen: Fabiorum unus superfuit, qui ob teneram aetatem Romae remanserat.

Plebis Tribuni acrius in dies plebem tuentur: Publius Valerius Tribunus factus, id tandem obtinet ut plebis Tribuni non iam in curiatis, sed in «tributis comitiis» crearentur. Plebs tamen aegre pugnat pro patriciis cum finitimis populis: ut concordia restituatur, Terentillus Arsa, plebis Tribunus, rogat ut leges scriptis edantur (CCCCLXII ante Chr. nat.) eaeque valeant tum pro patriciis, tum pro plebeis: patricii acriter obsistunt: Aequi irruunt; Cincinnatus, Dictator factus, citissime eos devincit (CCCCLVII).

Haec traditio, cui animadversiones criticas, de nostro more, opponemus.

Tarquiniorum conatus id effecerunt ut Roma suam iam vim virtutemque ostenderet, in foedere latino iam praevaleret, Latinos foedere Cassiano arte sibi vinciret.

Plebis Tribuni feruntur creati anno CCCXCIV, numero aucti an. CCCCLXXI, instaurati an. CCCCLII; sed eorum nomina eadem semper sunt; quod suspicionem inducit ne forte eadem pluries repetantur. Multiplicantur iidem eventus, atque ea quae serius facta sunt, in tempus longe aucterius anticipantur. Ca. Marcius cognomen sumpsisse a Coriolis, quos expugnavit; sed nonnisi an. CCCXXIX ob captum Privernum Fasti primum exhibent cognomen ab urbe capta desumptum, et forsitan Scipio Africanus primus (an. CCI) cognomen sumpsit a regione bello devicta; id eo magis dicendum de C. Marcio, qui vero

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Martii.

proprioque sensu non summus belli Coriolani dux fuisse traditur, sed tantum praefectus sub Postumio Cominio consule. Eoque minus accipienda videntur quae de Marcii Coriolani processu traduntur. Tribunos enim iam exordio ita praevaluisse, ut Senatorem accusare possent quis crediderit? Nihil aliud praestare iidem poterant, nisi « intercessionem ». Et quodnam Coriolani crimen, si in Senatu suam sententiam candide aperuerit? Nullum profecto. Et quomodo plebs damnare potuit patricium, si nihil plebis dicta apud patricios valebant ante annum CCCXXXIX? Omnia in aperto produnt redactionem posteriorem. Iam Tullius (*Brut.* 11, 32) Coriolani mortem illam notat a poëtis excogitatam fuisse « quoniam quidem concessum est rhetoribus ementiri in historiis ». M. Coriolanus forte nec fuit: quae de eodem traduntur fabulosa credi possunt, si excipias bellum contra Coriolos, quod factum est: quando vero, quibus ducibus incertum.

Quae de Spurio Cassio narrantur, deque eius animo favente plebi nimis redolent Graecana tempora: antequam plebs consilium imiret adipiscendi agros, plena civitatis iura assequi debuisse, quod nonnisi serius reapse obtinuit. Appius consul fertur tunc proposuisse consilium Patrum quorundam, qui dignoscerent agrum publicum et privatum; at Appius, Tiberii Gracchi, sacer, postea quidem id praestitisse.² Nec consors traditio de Spurii Cassii morte.³

Eadem dicenda de caede Fabiorum ad Cremeram, de cuius circumstantiis iam Dionysius ausus est dubitare: vix enim credideris unum superfuisse; num unus e tota gente puer? Nonne huius cladis narratio ad unguem aptatur ad ea quae de Leonida, qui se suosque trecentos pro patria immolavit enarrata sunt? Clades Fabiorum Heraclidum facta fertur annis

CCCLXXX-CCCCLXXVII; clades Heraclidum Lacedaemoniorum item an. CCCCLXXX ante Chr. nat. Fundamentum igitur narrationis, historicum; non vero singulae omnesque circumstantiae, historicae.⁴

Iisdem prorsus rationibus ea quae traduntur de bellis per saeculum fere gestis cum Volscis, Aequis, Sabinis eatenus tantum admittenda putamus quatenus manifestant: 1^o bello ad lacum Regillum Latinos non omnino domitos, quia in his bellis Latini suis copiis auxilium foederatis praestant; 2^o immigrations Sabinas pluries adhuc repetitas esse; 3^o Dictatorem extraordinario imperio necessarium pluries fuisse, ut plebs in oboedientia continetur; 4^o usque ad medium fere saeculum v ante Chr. nat. Romam non parum convaluisse, nondum tamen finitimis populis praevaluisse; eodemque tempore plebi quaedam concessisse patricios, non quidem iurum paritatem; 5^o leges scriptas quae utrisque vigerent tunc nullas exstisset.

SYLVIA ROMANI.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

De substantivis in « tor »

Substantiva in « tor » vel « sor », generatim e verbo derivata, significant qualitatem permanentem aut proprietatem historicam.

EXEMPLA: Epaminondas habuit *obretatorem* Menechidem quemdam, indidem (CORN. NEP.) — Non est unus, quamvis praecipius sit, imitandus, quia nunquam par fit *imitator auctori* (SEN.) — *Accusatores* multos esse in civitate utile est, ut metu contineatur audacia (CIC.) — Vir-

² Cfr. DION., VIII, 73; PLUT., *Tib. Grac.*, 13.

³ Cfr. PAIS, *Hist. rom.*, lib. III, c. X, sub fin.

⁴ Cfr. PAIS, ibid., c. XI, sub fin.

¹ Cfr. fasc. sup.

tutum amicitia *adiutrix* data est, non vi-
torum comes (CIC.) — *Licentia corruptrix*
est morum (CIC.) — Ut *saltori* motus
non quilibet, sed certus quidam est datus;
sic vita agenda est certo genere quodam,
non quolibet (CIC.) — *Alexandro suc-
cessor* quaerebatur, sed maior moles erat
quam ut unus subire eam posset (Q. C.) —
Dum Chabrias primus studet portum
intrare, *gubernotoremque* iubet eo dirige-
re navem, ipse sibi pernicie fuit. Quum
enim eo penetrasset, ceterae non sunt se-
cutae (CORN. NEP.) — Qui *spectator* erat
amovendus, eum ipsum fortuna *exactorem*
supplicii dedit (CIC.) — Quamvis non fue-
ris suasor et *impulsor* professionis meae,
approbator certe fuisti (CIC.) — Attentos
audidores faciemus, si demonstrabimus ea
quae dicturi erimus, magna, nova, incre-
dibilia esse; dociles, si aperte et breviter
summam cause exponemus (CIC., *Inv.*
1, 16) — Humano capiti cervicem *pictor*
equinam iungere si velit, et varias indu-
cere plumas, ... spectatum admissi, risum
teneatis, amici? (HOR., *Ars Poet.* 1) —
Germani celebrant carminibus antiquis Tui-
stonem deum et filium Mannum originem
gentis *conditoresque* (TAC.) — Athenae
omnium doctrinarum *inventrices* fuerunt
(CIC.) — Athenae *victrices* erunt (CIC.) —
Cato primus existimatus est optimus
orator, optimus *imperator*, optimus *senator* (PL.) — Adsis, oleae Minerva *inven-
trix*, uncique puer *monstrator aratri*
(VERG., *Georg.*, I, 18 et 19).

De propositionibus iuxta ponendis

Interdum Latini, nedum periodum ef-
fingant, propositiones alteram alteri iuxta
ponunt.

EXEMPLA: Dares nunc aliquem grandi-
loquum: diceret suo more cum primis cui
ulla fandi cura sit impensis cetero cor-
pore os colendum, quod esset animi ve-
stibulum et orationis ianua et cogitatio-

num comitium (APUL.) — Intuemini enim
horum deinceps annorum vel secundas res
vel adversas: invenietis omnia prospere
evenisse sequentibus deos, adversa sper-
nentibus (TIT LIV., V, 51) — T. Agustus
omnium periculorum meorum socius fuit:
quare tibi eum commendo (CIC.) — Tur-
pione Ambivio magis delectatur qui in
prima cavea spectat, delectatur tamen etiam
qui in ultima (CIC.) — Ac forsitan vix
convenire videretur, quem ipsum hominem
cuperent evertere, eius effigiem simula-
crumque servare; sed tamen videbam,
apud eos quum essem, religionem esse
quamdam in his rebus a maioribus tradi-
tam (CIC.) — Ergo hoc poterit Samnis,
spurcus homo, vita illa dignus locoque;
vir natus ad gloriam ullam partem animi
tam mollem habebit, quam non meditatio-
ne et ratione corroboret? (CIC.) — Quo-
tidie praeter oculos nostros transeunt no-
torum ignotorumque funera; nos tamen
aliud agimus, et subitum id putamus esse,
quod nobis tota vita denuntiatur futurum
(SEN.) — Pax tamen interdum est: pacis
fiducia nunquam (Ov.) — Regulus reddi
captivos negavit esse utile: illos enim
adolescentes esse et bonos duces, se iam
confectum senectute (CIC.) — Ac iam
illa omitto: neque enim sunt aut obscura
aut non multa commissa (CIC.) — Stultus
tacebit? Pro sapiente habebitur (PUB. SYR.) — Nobilis equus umbra quoque virgae re-
gitur; ignavus ne calcari quidem concitari
potest (Q. C.) — Non est magnus pumi-
lio, licet in monte constiterit; colossus
magnitudinem servabit, etiamsi steterit in
puteo (SEN.).

De propositione « finali »

Sententia finem indicans variis modis ef-
ferri potest.

EXEMPLA: Ait se comperisse eum *spe-
culandi causa* in Siciliam esse missum
(CIC., *Suppl.* 62, 161) — Carmina cele-

*brandae Marcelli memoriae composita aliosque studiorum honores reiecit (SEN., Consol. ad Marc. II, 2) — Si quis tamen virtutibus vitia pensarit, vir magnus, acer, memorabilis fuit et in cuius laudes persequendas Cicerone laudatore opus fuerit (TIT. LIV., Fragm.) — Animantes hominum causa generati sunt, ut equus *vehendi causa, arandi bos, venandi et custodiendi canis* (CIC. I — Latrocinia iuventutis exercendae ac desidiae minuendae causa fieri Germani praedicant (CAES.) — Legatos ad Caesarem sui purgandi gratia mittunt. Haec faciunt suorum recuperandorum causa (CAES.) — Dolores suscipiuntur, *maiorum effugiendorum gratia* (CIC.) — Ipsi equitatum omnibus locis *initiendi timoris causa* ostentare coepiunt (CAES.) — Dum elephanti traiciuntur, interim Hannibal equites ad castra Romana miserat *speculatum* (TIT LIV.) — Quo ex oppido, quum legati ad eum venissent *oratum* ut sibi ignosceret, obsides dari iubet (CAES.) — Apium examina non *fingendorum favorum causa* congregantur (CIC.) — Haec dixi *ut mihi ignosceret* (CIC., Lig. 3, 8) — Misi qui videret. — Quo facilius de eius imprudentia existimare possitis (CIC., Iurisd. Sic. 7, 18) — Ut id libentius faciatis (CIC., Pro Arch. 11, 28) — Quo animi iudicium incenderentur (CIC., Client. 51, 140).*

S. Leonardi in Helvetia.

I. JSS.

Selecta ex bibliothecis et archivis

Epistulae duorum regum famosissimae

Ex initio septimi decimi saeculi rationes, quae inter Danos et Suecos intercedebant, magis magisque in discrimen adduci coepiae sunt. Sueci enim, quorum rex anno 1607 titulum regis Lapponum

assumpserat, in Lapponia, quae regio tum Danorum erat, munitiones fecerunt, ius piscandi vindicaverunt, incolisque vectigalia imperaverunt. Huc accessit, quod mercaturam navalem Danorum in mari Baltico latrocinio maritimo impedire moliti sunt. Itaque Christianus quartus, rex Danorum, cum rationes vitales regni sui agi videret, quarto die Aprilis 1611 Carolo nono, Suecorum regi, bellum indixit. Sic pax Sedinensis, quae inter ambos populos anno 1570 facta erat, ad nihilum recidit. Et belli fortuna regi Christiano valde favit. Fines cum exercitu transgressus statim Calmariam, magnum Suecorum mercatum, obsidere coepit eamque urbem, etsi fortiter defendebatur, iam vicesimo septimo die Maii expugnavit. Subinde castellum urbis egregie munitum et rebus necessariis bene instructum circumclusit. Quo audito Carolus ipse accurrit, ut castellum saltem obsidione liberaret, sed omnes eius conatus frustra ceciderunt. Magna clade accepta pedes rettulit et a sedecim chilometris ad locum nomine Rysby castra munivit, unde quietus vidit casum castelli obsessi, quod non vi et armis, sed proditione a Danis captum est. Praefectus enim praesidii sub regis recessum pro loco tenendo in castra hostium se contulit, ubi cum procuratoribus Christiani de ditione disceptavit. Inde reversus ductoribus suis declaravit se propter inopiam pulveris tormentarii diutius resistere non posse. Sic tertio die Augusti castellum Calmariense Danis traditum est. Militibus potestas discedendi data est; dux perfidus a rege Christiano mille «taleros» pecuniae numeratae, navem copiis refertam, praediumque Holsatiense praemio accepit. Paucis diebus post insula Oelandia una cum oppido Borgholmia in dicionem Danorum redacta est; incolae in obsequium Christiani iuraverunt.

Dum haec geruntur, casus peculiaris inter ambos reges intercessit. Calamitates

celeriter subsequentes atque perfidia rebus gestis immixta Suecorum regi per se iracundo tantum furorem iniecerant, ut adversarium suum, quamquam ipse iam annos sexaginta decemque menses confecerat atque ictu sanguinis percussus erat, conditionibus satis miris propositis ad certamen singulare provocaret. Regis autem litterae vehementes sonuerunt ita:

« Nos Carolus nonus, Dei gratia rex Suecorum Gothorum Venedorum Finnorum in Carelia Lapponum in Norrlandia Esthorum in Livonia, tibi Christiano quarto, Danorum regi, notum facimus te non honesti et christiani regis modo fecisse, quippe qui libidinose ac sine ulla certa re aequam pacem, quae Sedini ante annos quadraginta inter honesta regna Sueciae Daniae Norvegiaeque coagmentata erat, ad irritum redegeris. Viribus enim tuis castellum nostrum Calmariam aggressus hunc locum munitum proditione cepisti perinde atque Oelandiam et Borpholmiam. Isto bello abs te facto hanc tantam caudem edidisti, quae iam non sedari potest.

Sed Deum Supremum, qui iustus est iudex, superbiam tuam voluntate ac iudicio exhibitam constricturum atque puniturum esse speramus. Et cum tibi numquam non omnes aditus christianos ad pacem concordiamque utiles proposuerimus, quos omnino excogitare poteramus, sed quos tu omni tempore contempseris, nunc extremam et ultimam conditionem tibi ponimus, cum te ipsum staturum esse animadversumus.

Agedum offer te secundum Gothorum veterum consuetudinem ac legem sine astutia in aperto ad pugnam in discriminem capitum una cum duobus ex tuis militibus equestri loco nobilique genere ortis. Nos ipsi eo adveniemus sine vestitu munito, sine ullo praesidio vel lorica, tantummodo cassidem in capite gerentes et gladium manu tenentes. Cura, ut tua persona regia eodem apparatu ornata nobis occurrat. Duo

autem alii, quos nobiscum ducemus, utrique sine iusta lorica erunt; quorum alter praeter gladium duo sclopetula secum habebit, alter pariter gladium sed unum sclopelum atque manuballistam. Iube igitur utrosque, qui te sequentur, pari modo armatos et instructos esse.

Haec si non facies, te non regem honestum nedum militem agnoscemus. Haec tecum reputa! — Datum in castris ad Rysby positis undecimo die Augusti 1611».

Sed Christianus tum annum gerens tricesimum quintum responsum verbis inurbanis atque malignis prosecutus est. Talia rescripsit:

« Nos Christianus quartus, rex Danorum et Norvegorum, te Carolum nonum, Suecorum regem, certiore facimus scriptum tuum petulans et immodestum per tubicinem nobis in manus venisse. Nos quidem te nos eiusmodi scripto non obtusurum fuisse speraveramus, sed cum dies canicularares in capite tuo maxima ope furere sentiamus, ad vetus illud proverbium: «Si mihi perget quae vult dicere, ea quae non vult audiet»¹ recurremus et nostrum responsum ad litteras tuas accommodabimus.

Quod scripsisti nos non pro rege honesto et christiano egisse neque pactum Sedinense observavisse, finxisti et mentitus es quasi homo, qui linguam suam compescere non potest, vel potius tamquam obtrectator honoris, qui opibus deficientibus verborum contumelias se defendat. Nos vero gravissima coacti necessitate et causa haec hostilia commisimus, quae coram Deo, qui est in caelo, die novissimi iudicii praestabimus. Tu quoque ibi apparere debabis, ut rationem reddas et sanguinis innocentis nunc profusi et aliorum facinorum tyrannicorum, quae hoc tempore non modo in homines tuo imperio subiectos, sed etiam in ceterum populum egenum commisisti.

¹ TERENTIUS, Andria 920.

Quod porro scripsisti nos primo urbem Calmariam deinde domicilium Calmariense proditione cepisse haud secus quam Oelandiam et Borgholmiam, hoc ab omni parte falsum est. Immo hoc ipsum castellum honesti domini ac militis more peperimus. Te vero pudeat cogitarem haec te neque omnibus rebus necessariis munivisse neque obsidione liberavisse, sed omnia tibi praeripi passum esse, quamquam strenuum te militem esse gloriaris atque ipse in proximo fuisti.

Quod ad pugnam honestam attinet, quam nobis obtulisti, ea maxime nobis videtur ridicula, quia te a Deo, qui est in caelo, gravissime percussum esse non ignoramus. Itaque multo melius est te miserari quam tecum configere ac manus conserere. Quid? Fornax – calida nonne tibi utilior et opportunior est quam certamen singulare? Quid? Medicus bonus, qui caput tuum paulo melius sanare possit, nonne tibi maiori est emolumento? Te modo pudeat, nugator senex, in honestum dominum isto modo invehi. Id profecto te docuit meretrix vetus, quae contumelias se defendere solet. Fac igitur, ut a scribendo desistas, quod te aliam operam navare posse speramus, ad quam conficiendam praeter Dei auxilium omnibus tibi viribus opus erit.

Denique te admonemus, ut praeconem nostrum et duos tubicines remittas, quos contra belli usum apud te retinuisti animum praeferens iracundum. Etsi malum eis aliquod affers, te scito hac re regna Daniae Norvegiaeque nondum peperisse. Quos quidem abdere atque in custodiad dare potes, sed paulum lucri facies. En habes responsum, quod scripto tuo petulanti et immodesto damus. Datum in domicilio nostro Calmaria septimo decimo die Augusti 1611 ».

Sed rex Carolus corpore animoque fractus his septimanis calamitatibus gravidis non diu superstes fuit; in itinere ad re-

gni concilium tricesimo die Octobris 1611 fato concessit. Cuius filius Gustavus Adolphus, ut erat mitiore animo quam pater, Danis pactiones de pace obtulit, quae tam felicem habuerunt eventum, ut pax inter duos populos vicesimo die Ianuarii 1613 restitueretur.

Lectores autem amici textum originalem utrarumque litterarum reperiunt apud AXEL LARSEN, *Kalmarkrigen*, pag. 143 ad 145 (Hafniae 1889). Interpretatio Germanica partim mendosa partim lacunosa continetur apud HANS KUFAHL, *Iosephus Schmied-Kowarzik, Düellbuch*, pag. 94 ad 96 (Lipsiae 1896).

Vratislaviae, mense Martio 1940.

HANS LIS,
studiorum consiliarius.

AD S. PHILIPPUM NERIUM DIE EIUS NATALIS REDEUNTE A. MCMXL¹

I

*Calix meus inebrians
quam paeclarus est!*

Quo sensu haerebas calicis tremebundus in ora
Dicere forte iuvat,
Aut vitii auriculis revelare aerugine scabris
Ullibi posse negas?
Pectore de trepido sacris te horrescere flbris
Astra que cuncta novo
Igne ardere putas, altumque incendere caelum
Purpureumque diem.
Sanguine tu gaudes? At cur de vulnere tanto
Sic sapit iste tibi

¹ In calicis parte ex qua (Philippus Christi) sanguinem hauriebat indicia dentium erant, aurumque ipsum, quod ibi circum erat, quamquam recens, brevi obscurabatur. (ANT. GALLONIUS, *Vita S. Philippi Nerii in annos digesta* [Romae, 1818, pag. 27].)

Purpureus fluctus dum saevas undique mundus
Volvitur in lacrymas,
Nexaque iam morti nectuntur semina vitae
Cumque dolore Amor?

II

*Aeterni testamenti
mysterium fidei.*

Non moritur sed amor; dum stat libamina cir-
cum
Hoc puerile decus,
Ut Galilaea quondam parvum per littus in um-
bra
Iesu phaseli aderat
Undique tunc etiam divulsus terra marique
Orbis in interitum
Corruere est visus, flagrant dum sidera morti
Ceu diadema sacram.
Fratrem sed pueri tuebantur, tum simul ipsum
Dicere verba Deum:
« Formidet nemo: testatur mira duelli
Vulnere fusa mei
Mortem me vicisse aeterni sanguinis unda
Tempus in omne fluens».

III

*Remedium
sempiternum.*

Ergo hiscet nobis supremi copia caeli
Sordida bella super,
Contra dolum vilem mortisque in ludicra mon-
stra
Ac temulenta nimis,
Aestuat aeternumque patet quo tota beatis
Sole sacro patria.
Cui nitet ex ortu cuiusque in vespera sacrum
Carmen idemque redit,
In terra quondam pueris cecinusse quod ultra
Gaudia cuncta fuit.
Iamque sereno sic deductis remige rident
Ostia mira poli
Aeterno tandem nobis quo gemmea pacis
Fulgeat ara die.

I. ANTONELLI COSTAGGINI.

*Intelligere superflua non nocuit: nocuit au-
tem didicisse.*

AUGUSTINUS.

“ SEROTHERAPIA” APUD VETERES

Nil sub sole novum!, idque etiam de hac medicinae ratione, atque de harum ordine rerum referre opportunum, quum apud nonnullos opinio iam percrebrescat, quidquid ad « serotherapyam » attinet ab antiquis ignoratum fuisse prorsus, nostorumque laudibus temporum penitus adiendum.

Atqui ego neminem laedam, si aliquem e lectoribus meis, ceteroquin disciplinis imbutum reliquis et mirabiliter excultum ac expolitum, medicae tantummodo sermonizationis credidero expertem, aut saltem in ipsa non usque ad fastigia versatum. Huius itaque causad dicam « serotherapyam » esse medicinae partem, quae non coerceat expellatque morbos ubi in homine flagraverint, sed prohibet impeditque quomodo accedant, villici morem sequuta, qui nocentes herbas ferasque in ipso germe callidior extinguit antequam vel adolescentes, vel natae, frugibus obesse validius possint. Id in praxi; in thesi autem haec doctrina tamquam pro fundamentis ponit esse in sanguine, in visceribus, in toto homine demum plurima semina mortis, quae vel consuetudine, vel victu, vel habitu, et (cur non dicam?) vitiis quoque crescentia, fatalem diem vel ante tempus maturant et vitam acerbo funere mergunt, vel futuris incommoda senibus, mortemque parant, mortisque ipsi sternunt commodius iter, aditumque patentiores, quo homine primo impetu potiatur. Propterea quod si quis et viscera, et sanguinem, et carnes hisce seminibus liberaverit, hic homini datus erit iugem vitam, senectam saltem incommodis liberam, valentem viribus, omni denique morborum servitio solutam. Hinc si indeclinabilis necessitas mors, si, veluti in ferro rubigo, in lignis tineae, in homine quoque necessitas mortis, lege supraem id cavente, nescia flecti

prorumpat... Quid? Spes attollitur, et promissis alis caelo toto spatiatur. Nam et seithim lignum, et aurum, natura temperante ipsa, videmus nulli rubigini obnoxia, et robora terris altius infossa nigrescere immortalia, et ferrum ipsum, faciente maiorum nostrorum, nunc desperita, industria, post viginti propemodum saecula roboreis ipsis trabibus pro cuspide affixum in fundaminibus palustribus aquaeductus Marcii fontis nulla morsum rubigine, sed lucens, nitensque, vivumque defossum haud aliter ac si heri vel nudiustertius fuissest emporio creditum ab officina servandum. Quae quum ita sint, eadem humana industria satagente laboribus indefessa, erit profecto tempus et illucescit aliquando illa dies, qua, serotherapicis medicis incumbentibus, omnis rubigo mortis ab hominibus expellatur, semina mortis omnia in hominibus prementur, et valentes vivent homines usque in saeculum.

Futuri huius temporis exitum caliginosae nobis aetati nos videndum intuendumque relinquimus (quamquam o si temporibus nostris maturaret!), at qui talia spondent ii neque levia, neque ingrata, neque (si illam immortalitatem cum integra et valida diuturnitate commutes) impossibilia pollicentur.

Ad serotherapy autem quod attinet, aliquid vel ipsis tenebriscae antiquitatis diebus inesse reperio. Quid enim illud Biblicum sonat: « Anima carnis in sanguine est »? Quid Horatianum illud:

*Crescit indulgens sibi dirus hidrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, et aquosus albo
Corpo languor?*

Quid ipsum denique Hippocraticum aphorisma: « Cognito morbo, facilis curatio »?

Graecus autem medicus, Lambadarios de Syra, praecleara de Galeno ad serotherapy pertinetia refert. Galenus enim leprosus curasse dicitur viperinae carnis co-

mestione, idque facere se monebat ppter ea quod veneno vipereo leprosum virus coerceretur atque extingueretur. Nihil autem, aut minimum profecto est inter serotherapy, quae humorem salutiferum in venas per sapiens vulnus ingerit, et serotherapy, quae humorem salutiferum in venas pariter per stomachum adigit, absorbentibus vasculis chilum, quod ex constituentibus cibum eduliis conficitur, et, in venas patientibus ac distribuentibus vasculis, in sanguinem adigitur convertendum. Si vero pharmacopaeam antiquorum omnem reslexeris, si medicinam ipsam antiquorum pariter omnem, hasce videbis innixas nec secretis, nec dissimulatis principiis duobus toto caelo inter se divisis, et contradicentibus, nempe « similia similibus curantur », « contraria contrariis ». In primo serotherapy omnis, quanta ea nunc est, continetur. Tota enim est in excitando morbo per venena manufacta (lege: *remedia*) eiusdem speciei ac ipse, quo affiebatur aegrotus; morbi autem naturalis vires illo, ut ita dicam, manufacto morbo absorbebantur, quae quum in potestate medici curantis essent, huius nutu tenuique negotio dissolvebantur et exterminabantur. Patet igitur serotherapy omnem in hoc et proposito et praxi antiquorum coactam. Quid? Jenner qui pustulas, qui variolas provocat in homine, pus infundens venis vaccinum, ad quas confluat virus pestis illius pustuliferae et varioliferae in sanguine latens, quod postea in arabicas variolas flagraret mortiferum, nihil sequitur praeter antiquorum aphorisma medicorum. Deerat serotherapy nomen; haud inficior; sed facta convenienter in unum.

Neque praeterendum silentio Mithridatem puto, qui, ne veneno invidentium occideretur, ita venenatis offis et potionibus uti quotidie solebat, ut offa obstaret extingueretque venenatae potionis potentiam, potio, obstante offae viru, nihil sto-

macho posset; stomachus autem ipse, venenis assuetus, nihil pateretur inductis. Dicitur haec non semper suo periculo probavisse, sed in certamina huiusmodi plenumque criminis reos rapuisse; ipse spectator exsisteret; multa sic, quae ad genus medicaminum pertinent, illo auctore comperta sunt. Eo quinimo provectus est, ut grue Euxina passim vesceretur, quia haec impune viperas vel vivas depascitur, idque ne vipereo quidem viru cogeretur ad mortem. Hoc autem usu venenis fecerat insuperabile corpus, nec, dum veneno vult absumi victus, potuit restinguiri, et vitam servavit invitus. Traditur insuper medicamentum confecisse, quod « antidotus Mithridaticus » vocatum fuit, quodque sumptum quotidie, in columnen a veneno quo vis faciebat sumentem.

Alterum vero aphorisma, quod fert contraria contrariis curari, ex integro in usu Mithridatico est, qui nempe mortiferam actionem narcoticorum excitantibus delebat venenis, excitantia et succendentia venena venenis sedantibus opprimebat.

Sint ergo suae laudes cuique; et maioribus nostris quia non ignoraverunt feliciterque reperierunt ac tradiderunt, et aequalibus nostris viris qui arte summa, felicitate mira, imperfecta veterum studia novis ditavere studiis, atque, iisque felicioribus, ornavere, tum novum disciplinarum agmen ad medicinae famulatum prospere excitarerunt, et, bacteriologiae viam semel arrepti, magnum ipso ab exordio nanciscuntur fructum adinventionum suarum.

G. P.

*Crede mihi, bene qui latuit bene vixit, et intra
Fortunam debet quisque manere suam,
Tu quoque formida nimium sublimia semper,
Propositique, precor, contrahe vela tui.*

OVIDIUS, Epist. III.

Sobrietas mentis medicina est corporis.

S. AMBROSIUS.

ANNALES

Europaeum discrimen

Europaeum discrimen potius quam componatur, acuitur in dies; deflagratio heu! longe lateque amplificatur. Anglicae naves ad Skagerrak angustias mittuntur ut impediant quominus ex Scandia merces, atque praecipue ferrum, in Germaniam importentur; Germania bellicas contra naves opponit, quae Anglica conamina deceptuiae sint; Anglia tum nunciata sese igniferos globos iuxta Norvegiae litora disseminaturam, quippe quae non innoxium iter iam praebant omnibus pervium, sed quasi Germaniae condominium facta sint, per quod bellicorum vectigalium fraudatio exercetur. Reclamat Norvegia iterum iterumque profitens se in alterius ullius partem nunquam fuisse inclinatam neve ius in mare suum quolibet modo exercendi cuiquam unquam cessisse, vel cedere velle; at, dum hinc inde disceptatur, Germania ex improviso Daniae Norvegiaeque territorium copiis suis terra, mari caeloque transvectis occupat, quod illos populos tueatur aduersus Anglorum impetum, initum contra eorum neutrius partium studium. Angli negant hunc prorsus existisse; Dani fortunae conditionem subeunt; Norvegi repugnant, auxilium hoc non petunt non solum iura medios sese gerentium omnino pervertere, sed etiam libertatis populi utrisque armis vacantis. Ecquid? Die IX mens. aprilis, belli status inter Germaniam et Norvegiam constituitur, in cuius subsidium Angli Gallique accurrunt; non vero tam cito, ut prohibere valeant ne Germani ab Oslo urbe Norvegiae capite in regiones ad septentrionem et orientem sollem infeste procedant, usque ad Trondhjem, ac deinde Stenkier, Voss aliaque loca. Pugna navalis ad Narvik inter sociorum agmina et Germanica committitur,

dem inter atque Lusitaniam, qua disposita est Catholicae Ecclesiae in Lusitania iuridica quae dicitur ratio, itemque constituta compositio de rebus ad Catholicas Missiones pertinentibus in Lusitanis coloniis Capitis Viridis, Guineae, Angolae, Monzambici ac Timor.

POPLICOLA.

LIBRORUM RECENSIO

Prof. MARCO BERGAMINI e FRANCESCO LO PRESTI-SEMINERIO. *Manuale di Puericultura e Igiene Infantile per le scuole medie femminili* (Parma, Tip. riunite Donati — Ven. Ital. libell. 8,50).

In Italicis puellarum scholis ordinis secundi haud immerito domesticae oeconomiae institutioni recens additae regulae sunt de infantium cultura, quae, superstitiones commentaque, radicibus vulgo praesertim infixis, tollentes, solida fundamenta ponant ad rectum infantis corporis incrementum adiuvandum et optime perficiendum. Qui ideo huiusmodi operi sive voce sive scriptis intendit, necesse est non modo pediatriam disciplinam apprime calleat, verum etiam, praesertim apud puellas de quibusdam argumentis pertractans, vetus illud monitum prae oculis semper habeat, maximam deberi pueru reverentiam. Utrumque autem huius libri auctores feliciter attigisse nobis videntur, quibus ideo congruentes laudes tribuimus.

f.

FABULAE

VITAE MAGISTER

Exemplo disces quanti sit pecunia,
Parcus qui fias sobriusque commode.
Vitricus quidam, vel Priamo prolis ditor,
Alioqui expes squalore ut Irum vinceret,
Macram ut doceret prolem parsimoniam,
Nimirum et nummos cogeret quam plurimos,
Ubi adventabat prandii hora, liberum
Haec blande verba iam inserebat auribus:

« Esca abstinentem quinquagessi munero ».
Olera illi, amurcam cum viderent putida
Nummos malebant. Cenatum redeuntium
Haec dire verba tum inserebat auribus:
« Venit nunc cena a singulo centussibus ».
Fame mulcati malebant cenam illico
Cuncti, osque expletos rugabant marsupium.

VULPES SENEX

Vulpes, senectae annis confecta debilis,
Ricinorum quod e collo pestem evellere
Foedam nequiret mordicus et pedum ictibus,
Foeni glomus summis contexit dentibus,
Et altas nacta frigidis undas fluminis,
Caudae demisit, ultimos patulae pilos.
Paulatim artus, dein totum corpus mergitur,
Et sanguibulum pernix cogitur pecus,
Crescente lympha, in foeni summa gramina.
Luis mox vulpes nidum vafre luridae
Amni credit: tum munda in sicca prosilit.
Ubi desint vires, quaerenda insidiis salus.

LEO MORIENS ET LEO NASCENS

Vanae argumenta vitae addis si reproba
Inglorium acri risu nomen obruis.
Salaco quidam quod sanguine esset nobili
Pluris se habebat ceteris mortalibus:
« Avi contra hostes victores pugnaverant,
Amplissimi rem publicam mox rexerant,
Belli domique clari et tandem flosculum
Extremum stirpis, gloriae compendium,
Caeli donum, Romaeque spem et solacium
Talem Imperi liquerunt magni praesidem ».
At unus: « Heus! superbis qui alienis bonis,
Hereditate veniunt nummi haud gloria:
Homines cur spenis luculenter qui inchoant,
Quae ineptus prave degener iam desinat?
Nescisne quemque esse artificem sortis sua?
Orientem plures solem quam occiduum colunt
Alii et quod lives illum victorem asseris ».

M. GINOTTA.

IMPRIMATUR:

† Fr. ALPHONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS


ALMA ROMA

QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE

TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



VARIA

Romanorum exercituum duces non vehementer puniri solitos, quamvis aliquando in rebus agendis capiendisque consiliis errarint.¹

Romani non modo minus quam ceterae civitates erga suos cives ingrati fuerunt, sed in puniendis etiam ducum erroribus magis clementes et considerati, quam ulla aliae res publicae. Nam si qui malitia sua quippiam delinquissent, eos puniebant, non tamen crudeliter; si error ex ignorantia natus esset, non modo non puniebant, sed praemiis potius, perinde ac si rem bene gessissent, affiebant. Idque non sine gravi consilio faciebant; nam permultum interesse putabant, ut qui exercitui praeficerentur, ab omni metu liberi essent, et rerum agendarum consilia ex ipsis occasiobus arriperent, nec haberent quod formidarent. Rei enim, quae per se ardua atque difficilis est, aliae difficultates atque pericula adiungenda non sunt, ne virtuti impedimenta obiciantur. Nam si quem, exempli gratia, aut in Graeciam adversus Philippum Macedonem, aut adversus Annibalem in Italiam, aut adversus aliquos populos, quos vicere iam olim, cum exercitu miserunt, ei cura iam incumbebat eorum omnium, quae ad rem bene gerendam requiruntur; quae quum sint per se graves atque difficiles, nequaquam aliis curis aut periculis aggravari debuerunt. Nam si, praeter harum rerum curam, is dux etiam ante oculos posita habuisse exempla eorum, qui ob rem minus prospere gestam, a senatu gravi supplicio affecti fuissent, nequaquam tot curis periculisque circumdatus, rem fortiter aggredi ausus fuisse. Quae quum ita se haberent, existimarent

eos qui fortunae adversitate rem minus feliciter gessissent, ipsius rei dedecore atque pudore iam satis punitos, neque aliis poenis esse deterrendos.

Pro iudicibus mensarum elegantibus

ESCARUM ORDO:

Ius Papiense.

Artocreas ex furfuricula.

Pisa, perna condita.

Vitulina caro in botellum redacta, solanulus tuberosis adustis saepta.

Fruga mulso confecta.

Locosa

TUCCIUS in schola. Interrogat Magister:

— Quis fuit Francisci V pater?

TUCCIUS: — Franciscus IV.

— Et Francisci I?

— Nullus, hercle!

In via:

TUCCIO obviam fit condiscipulus:

— Quo vadis, Tucci?

— Ad nundinas.

— Ecce?

— Ut corvum emam: dixit enim magister corvos trecentos annos vivere; experiri volo utrum hoc verum sit.

Aenigmata

I

Nomen idem teneo; vario sed munere fungor.

Nam mox me pueros erudiisse decet; mox navis iubeor moderari per mare clavum; gregis in pratis credita cura mihi est.

In cenis Romanorum statuisse solebam quot cyathi vini, quot biberentur aquae. In gravibus bellis mihi rerum summa dabatur, aut equitum turbis praeficiebar eques.

II

Progenies flammæ lacrimas dare lumina cogo. Consona mutatur? Conspicis exsequias.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo propo- sita his respondent: 1) *Actor*; 2) *Costum- Costa*.

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

Ann. XXVII

Romae, mense Junio MCMXL

Fasc. VI

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXL est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

VINCENTIUS TAROZZI

latinarum litterarum ac pietatis cultor eximius

Mihi vitam et studia viri a Secretis epistolarum latinarum Summi Pontificis Leonis XIII, diligenter elaboranti, sentio quam meis impar viribus sit, a vitae ratione, et studiorum natura laudatio piissimi Sacerdotis Vincentii Tarozzi universae litteraturae apprime periti, latinae linguae incredibili prope dixerim possessione praestantis, et omni philosophiae genere instructi.

Nam et doctrina vir tanta fuit, ut litterarum latinarum princeps habitus sit; sanctitate vero adeo insigni, ut Ecclesiasticis praesertim tamquam perfectum virtutum omnium exemplar proponi ad imitandum possit.

Vincentius Tarozzi natus est Castrofranci in Aemilia XVI Kalendas Iunias anno ab ortu Christi MDCCXLIX.

Parentes habuit moribus et virtutibus praestantes, Paulum Tarozzi ludi-magistrum et Marcellam Zoccoli, quae viro suo duodecim liberos peperit; quibus id maxima curae fuit, ut filios ad christianam virtutem effingerent; exemplo ac sermone instituerent.

Eluxit statim in puero Vincentio eximia indoles atque ad pietatem proclivis;

egregiae indoli singulare adiunctum ingenium effecit ut sanctum et doctum evasurum omnes coniectarent. Nec vero conjectaram fefellit eventus; utraque enim laude praestitit.

Quo factum est, ut flagrans religionis studium adeo in eo exarserit, ut tota deinceps vita nihil is tam vellet, quam augeri quotidie magis suam in omni officio pietatis vigilantiam; seque non assuetum fallacie, non infuscatum malevolentia, non factu elatum; sed ita integrum, docilem, compositum, ut omnium non solum erga se amorem, verum etiam admirationem excitaret. Qum igitur iam esset aetate qua aliquod emolummentum posset mentis cultura et virium labore percipere, missus est Bononiæ XVI Kal. Novembris anno MDCCCLXI, ubi in sacro Seminario eius industria proprius cerneretur.

Ibi studio et disciplinae continenter vacans statim laudabiliter prima litterarum fundamenta arriput, et animum alacrius adiecit ad studia pulcherrimæ humanitatis et rhetorices in quibus uberrimum cepit fructum suae dexteritatis et ingenii.

Itaque moderatoribus et magistris spem fecit, se et christiana sapientiae decus et Ecclesiae Catholicae fore praesidium.

Hoc sacro ephebeo ita usus est, ut omnibus propter suavissimos mores carus esset: omnibus in iis, quae ad pietatem

pertinerent, praeiret exemplo ac brevi condiscipulos suos ingenio ac doctrina superaret. Sacris deinde litteris doctrinisque eruditus, anno MDCCCLXXVI apud studiorum Universitatem Patavinam bonis litteris tradendis idoneus factus est, eique concessum est ius docendi in scholis ordinis secundi.

Electus Seminarii Bononiensis Professor et idoneum tempus ratus in id mentem omnem adhibuit suam ut ingenii aciem acueret, intelligendi potentiam consolidaret, seque praestantem immortalis domicilii praceptorum ostenderet, qui alumnus evaserat praestantissimus.

Per septem annos, id est ab anno MDCCCLXXXVI usque ad an. MDCCCLXXXII, non solum humaniores litteras docuit, sed Rectori adiutor datus regendis adolescentibus in sortem Domini vocatis, eos non litteris magis quam pietate informandos curavit.

Anno MDCCCLXXXV Romam vocatus a Summo Pontifice Leone PP. XIII, qui germanae latinitatis princeps fuit, munus docendi obtinuit ad «Sanctum Apollinarem», ubi praefatus Pontifex tunc instituerat Scholam seu potius Academiam litterarum. Hic Tarozzius in eo omnem curam posuit suam, ut graecos et praecipue latinos scriptores diu noctuque versaret, et discipulos ad eorumdem imitationem libero animo hortaretur.

Iussus enim adolescentes ad eloquiam et epigraphiam comparare, bene sentiebat praceptoris gloriam, eam esse discipulorum.

Quapropter quantum alii vitae commodis, deliciisque concedunt, tantum ipse aureis Caesareae aetatis magistris, Tullio praecipue, tantum Apollinaris Seminarii honori, tantum discipulorum utilitati concessit.

Detinebat iuvenes interpretatione magis, et, ut aiunt, analysi orationum, quam longiori praceptorum doctrina. Evolvebat

quo fine dicta fuerit oratio, quibus oratoriis adiumentis soleris orator uti prope sciverit ad victoriam consequendam; qua ante incipiat, progrediatur, ad exitum feliciter perveniat. Nihil mirum hinc, si post diuturnam exercitationem, studium ingens, productas vigilias, tanta latinae linguae possessione et tanta celeritate scribendi usus fuerit, quanta deinde lima sua scripta multos in annos premebat ut eadem ad Horatii sententiam affabre perpoliret.

Tandem anno MDCCXCII a Leone Papa XIII ab Epistolis Latinis eiusdem Summi Pontificis a Secretis auspiciatus est. Suscepsum munus per septem annos admirabilis prudentia gessit; ea tamen modestia animi et morum suavitate usus est, ut probatissimus omnibus acceptissimusque evaserit.

Super reliquias pulcherrimae sunt nonnullae litterae Encycliae Summi Pontificis Leonis XIII praedicti, quibus Tarozzius fidelem operam praestitit. Eae sunt:

I. *Providentissimus Deus*, xv Kal. Ian. MDCCXCIII.

II. *Amantissimae voluntatis*, xviii Kal. Mai. MDCCXCV.

III. *Apostolicae curae*, iii Idus Aprilis MDCCXCVI.

IV. *Christi Domini*, vi Kal. Decembris MDCCXCV.

V. *Divinum illud munus*, vii Id. Mai. MDCCXCVII.

VI. *Magnae Dei Matris*, vi Id. Sept. MDCCXCII.

VII. *Laetitiae Sanctae*, vi Id. Sept. MDCCXCIII.

VIII. *Iucunda semper*, vi Id. Sept. MDCCXCIV.

IX. *Adiutricem populi Christiani*, vi Id. Sept. MDCCXCV.

X. *Fidentem piumque animum*, xii Kal. Oct. MDCCXCVI.

XI. *Augustissimae Virginis Mariae*, Prid. Id. Sept. MDCCXCVII.

XII. *Diurni temporis*, Nonis Sept. MDCCXCIII.

XIII. *Mirae caritatis*, v Kal. Iunias MDCCCCII.

Ipse Summus Pontifex Leo XIII, iudicio praeditus acerrimo in aestimandis hominum ingenii et virtutibus, his latinis distichis honestavit Tarozzium ineunte anno MDCCCCIII.

*Sic tibi sit felix, oriens, sit candidus annus
Splendeat et nostris laetior auspiciis.*

Mens sana (heu! nimio dudum defessa labore)

Corpo sit sano, vividiorque tibi

*Altaque suspiciens, terrae licet incola, castis
Laetetur Superum vivere deliciis;*

Ampla hinc virtutum decorat te copia, et ardens

Hinc tua divinus pectore adurat amor.

Atqui olim in caelo festum paeana canentem

Te Deus ipse choris inserat angelicis.

Hactenus de Vincentio Tarozzi, Epistoliarum Latinarum scriptore apud Summum Pontificem Leonem XIII; nunc de Tarozzio Praeceptore primum ad S. Apollinarem, ut amplius supra diximus, postea ad Leonianum et ad parvum Seminarium Vaticanum. Fuit in istis tribus collegiis, prout praesidum ratio ac divinae gloriae res postulabat, et ubique muneri suo nunquam defecit. Quarum laudum, quae iure debentur Vincentio Tarozzio, tot praecones sunt, quot eius scholae interesse potuerunt, quorum multi litterarum cultura, scientiarum opibus, atque dignitate insignes, quoties de eo meminerint, toties perhonorifice praedicarunt.

Quoniam vero multa sunt quae de eo praedicari possunt, mihi quidem in animo est etiam de eius gloria, quam in poësi assecutus est commemorare.

Haec eius industria elucet, sive divinam corporis fabricam inspiciendam obiciat, sive animi facultates describat, et in primis phantasiam sublimium et caelestium imaginum artificem, sive diversa humanae vitae genera persequatur: Summorum

Pontificum, Episcoporum, Sacerdotum Clericorumque officia, mores ac studia adolescentium, cetera denique prope innumerabilia, quibus totius naturae ratio, species habitusque continetur.

Ceterum excellenti fuit ingenio et eximia eruditione, ut praeclera eius opera edita et inedita declarant.

Multa scripsit Ascetica,¹ Moralia, Documenta vitae spiritualis et Carmina, quae et summo in pretio habentur propter insignem doctrinam, quae ex rebus quae tractant elucet, et propter eximium quemdam stili nitorem, quo usus est.

Plures Inscriptiones concinnavit cum sapore antiquitatis: eae cum plausu Summorum Pontificum Leonis XIII, Pii X et Benedicti XV, doctorumque assensu exceptae fuerunt. Sed plenius historici partes egit in Vitis Archiepiscoporum Bononiensium ab anno ortus Christi MDLXXXII usque ad annum MDCCCLXX.²

His quas descripsimus virtutibus studium precum adiunxit. Quidquid otii in tantis occupationibus nanciscebatur totum preicationi dabat. Erga Sacrosanctam Christi humanitatem eiusque dolores ac cruciatus mirum in modum afficiebatur. Parerat religionis sensus in Divinum Eucharistiae Sacramentum.

Singulari pietate complexus est Sanctissimam Dei Parentem; illam non alio nisi Matris vocabulo appellavit.

Secundum hos, ceteros sanctos enixe coluit, praesertim Franciscum Assisiatem, cuius Tertio Ordini iam adscriptus fuerat.

Haec fuit vita, haec studiorum ratio Vincentii Tarozzii: pauca nunc de ipsius indole ac dotibus. Prima inter reliquias fulget modestia illa, quae est ceterarum virtutum gratiosa comes et regina. Mode-

¹ Vide sis: *Scritti Ascetici di Mons. Vincenzo Tarozzi, Segretario per le lettere latine di Leone XIII, raccolti e pubblicati a cura di Mons. ERNESTO RUFFINI*. — Tip. Pol. Vaticana 1939.

² Vide sis: *Commentarii*, ut supra. — Bononiae, Ex Maregianio Officinatore Pont. MDCCCLXXXIV.

stiae adiecit animi moderationem. De se admodum demisse sentiebat: non modo honorem, sed honoris umbram omnem ac speciem aversabatur.

Nihil malebat quam *nesciri ac pro nihilo reputari*. Innocentia eius talis fuit qualem luculentissima gravissimorum virorum, qui eum intime norunt, testimonia confirmant. Ceterum, ut inquit Divus Ambrosius, *imago quaedam animi loquitur in vultu*; ex ore Vincentii Tarozzi se se eius prodibat innocentia.

Succedit caritas, quae princeps virtutum est et in qua maxime excelluit.

De caritate erga proximum dicam, quae ex eodem fonte profluxerit. Liberalitas erga pauperes pro facultatibus modo exigua plane fuit ac singularis. Generatim affirmari potest, nullum ab ipso a se inanem demissum fuisse inopem, omnes aliqua stipe recreatos. Omnibus omnia denique factus, nemini re, consilio et quamcumque potuit ope, defuit. Atque ut alia de paupertate dicamus, nudus nudum Iesum sequutus, nemo illo fuit egentior ac rebus omnibus magis spoliatus.

Eminuit ingenio acri prorsus et philosophico; in vario vitae genere semper idem.

Alumnus Seminarii Bononiensis, eiusdem Praeceptor et Vice-Rector, Seminariorum Romanorum Professor, ab Epistolis Latinis Summi Pontificis a Secretis, Urbanus Antistes, Sacerdos, in cunctis vitae officiis semper aequalis.

His aliisque virtutibus egregie ornatus quum esset, et tot tantisque quot demonstravimus pro Ecclesia et salute animarum defunctus laboribus, tandem ad vitae suaexitum perductus est.

Et sane dies xvi Kalendas Ianuarias fuit ultima dies huius sancti viri.

Prius labore quam aetate confectus vir religiosissimus ad beatitudinis portum quem unice concupierat, exitu placidissimo migravit e vita in Seminario Vaticano, annos natus novem et sexaginta.

Fuit mediocri corporis modo, fronte ingenua explicata, vultu sereno, ore suavissimo, supercilio eminenti, acutisque oculis, quae morum humanitatem et mentis animique candorem praeferebant, deambulatione lenta, capite inclinato, praesertim extremo vitae tempore.

Nos tempus certe deficeret si vellemus singula praeclera facta enumerare, sed alias, oblata occasione, eadem nos diligentissime referemus, neque deerit qui tanti viri memoriam copiosa narratione illustratam posteritati commendabit, satis nunc laeti nos, si specimen hoc in medium protulimus.³

I. DE C.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

De tempore verbi propositionis consecutivae.

Propositiones consecutivae verbum suum eo tempore habent quo haberent si non essent subiectae.

EXEMPLA: Tot nos praeceptoribus, tot exemplis instruxit antiquitas, *ut possit* videri nulla sorte nascendi aetas felicior quam nostra, cui docendae priores elaboraverunt (QUINT., XII, 11) — Rex tantum auctoritate Cononis motus est, *ut* et Tissaphernem hostem *iudicaverit* et Lacedaemonios bello persecui *iusserset* (CORN. NEP., *Con.*, 4) — Adeone erat stultus Cluentius, *ut* illam quam tum ille vivebat vitam esse *arbitraretur* damnati, exulis, deserti ab omnibus? (CIC., *Clu.*, 61) — Nec ita claudenda est res familiaris, *ut* eam benignitas aperi non possit, nec ita reseranda *ut pateat* omnibus (CIC., *Off.*,

³ Habui in manibus, sero tamen: «*Un Segretario di Papa Leone XIII (Mons. Vincenzo Tarozzi)*»: scrisse vir clarissimus Sacerdos Iulius Belvederi. — Bologna, Libreria Editrice Via Altabella (Palazzo Arcivescovile), 1919.

¹ Cfr. fasc. sup.

II, 15) — Multa saecula sic viguit Pythagoreorum nomen, *ut nulli alii docti viderentur* (CIC.) — Quis contra studia naturae tam vehementer obduruit, *ut a rebus cognitione dignis abhorreat?* (CIC.) — Tantum cepi doloris, *ut consolatione ipse egerem* (CIC.) — Etrusci praelium ineunt adeo raptim, *ut*, abiectis missilibus, *stringerent* gladios (TIT. LIV.) — Nobilibus athletis, qui vicissent, Graecorum maiores ita magnos constituerunt honores, *ut*, quum revertantur in civitates suas cum victoria, triumphantes quadrigis *invehantur* (VIT.) — Apud omnes Graecos hic mos est, *ut* honorem hominibus habitum in monumentis eius modi non nulla religione deorum consecrari arbitrentur (CIC.) — Eques Romanus Macedonem tam graviter percussit, *ut* poene concideret (PI.).

De propositionibus superadditis

Certae propositiones adduntur, quibus magis eluceant aut pressius definitur quaedam vocabula.

EXEMPLA: Levis est animi iustum gloriam, *qui est* fructus verae virtutis honestissimus, repudiare (CIC., *Pis.*, XXIV, 57) — Caesar, consecutus cohortes, ad Rubiconem flumen, *qui* provinciae eius finis erat, *paulum constitit* (SUET.) — In astrolologia C. Sulpicius operam posuit, in geometria S. Pompeius, multi in dialecticis, plures in iure civili, *quae* omnes artes in veri investigatione *versantur* (CIC.) — Quamvis rerum ignorem primordia *quae sint*, hoc tamen ex ipsi caeli rationibus ausim confirmare (LUCR.) — Sequani tristes, capite demisso, terram intuebantur. Eius rei *quae causa esset* (=causam), miratus Caesar ex ipsis quaequivit (CAES.) — Pompeius, *quod* imperii romani lumen *fuit*, extinctus est (CIC.) — Ex omnibus Britannis longe sunt humanissimi qui Cantium incolunt, *quae regio est* maritima omnis (CAES.) — Alesiam, *quod est* oppidum Mandubiorum, iter facere coepit

(CAES.) — Audistis *quae* solitudo in agris esset, *quae* vastitas (CIC.).

De adverbio superaddito

Adverbia quaedam, verbo praecipuo propositionem, *quae* ab hoc verbo pendet praenuntiant.

EXEMPLA: Summa *illuc* pertinet, *ut* scitis, quoniam plura genera sunt imperatorum, ex quo genere iste sit (CIC., *Suppl.*, X, 25) — *Sic* perspicio, rempublicam funditus interituram fuisse (CIC.) — *Ita* compositus instructusque, tanquam idem, quod ad ceteras urbes fuerat, certaminis foret (TIT. LIV.) — *Sic* existimo, *sic* mihi persuadeo, me tibi contra honorem L. Murenae, quantum tu a me postulare ausus sit, tantum debuisse; contra salutem, nihil debere (CIC., *Mur.*, III, 7). — Quidam Deum *idcirco* esse non putant, quia non appareat, proinde quasi nostram ipsam mentem videre possimus (CIC., *Mil.*, 31) — Legum *idcirco* omnes servi sumus, ut liberi esse possimus (CIC., *Client.*, 53) — Quia natura mutari non potest, *idcirco* verae amicitiae sempiternae sunt (CIC., *Am.*, 9) — *Sic* tibi persuade me nihil curare nisi ut mei cives salvi liberique sint (CIC.) — *Sic* mihi peruersi, *sic* sentio: animum nostrum non posse esse mortalem (CIC.) — Scio plerosque *ita* scripsisse, Themistoclem, Xerse regnante, in Asiam transiisse (CORN. NEP.) — *Tantum* poenarum diis hominibusque dedimus, ut terrarum orbi documenta essemus (TIT. LIV., V, 51, 52) — *Ita* ad hoc aetatis a pueritia fui, uti omnes labores et pericula consueta habeam (SALL.) — Quotidie *sic* coena Ci moni coquebatur, ut, quos invocatos vi disset in foro, omnes devocaret (CORN. NEP.).

De singulare pro plurali

Singularis numerus non raro multitudinem designat.

EXEMPLA: Omnes Thessaliae civitates

interfectum Pelopidam coronis aureis et statuis aeneis liberosque eius *multo agro* (= multis agris) donarunt (CORN. NEP.)

— *Avidum* invadendi deserta moenia *mittem* detinet, ne quam occultam in fraudem incautus rueret (TIT. LIV.) — Stultissimum est in luctu *capillum* sibi evelgere, quasi calvitio moeror levetur (CIC., Tusc., III, 26) — Si natura negat, facit indignatio versum (IUV., I, 79) — Mortemque timens, cupidusque mori, *glande* famem pellebam (Ov., Met., XIV, 215) — *Vestis* frigoris depellendi causa reperta primo est (Cic.) — Ventri *lactuca* movendo utilis est (M.) — Non *far* et *sitiginem* solam, sed *hordeum*, *fabam*, ceteraque legumina sero (PI., I, 20) — Pythagoricis interdictum putatur, ne *faba* vescerentur (Cic.) — Nec minus inhumana pars viae quam Cremonenses *lauru rosaque* constraverant, exstructis altaribus caesisque victimis regium in morem (TAC., Histor., II, 70) — *Plurimus* hic *aeger* moritur vigilando (IUV., Sat., III, 232) — Quamvis *multa* meis exiret *victima* saeptis (VERG., Eclog., I, 33) — Volo hoc oratori contingat, ut, quum auditum sit eum esse dicturum, locus in subselliis occupetur, compleatur tribunal, gratiosi scribae sint in dando et cedendo loco, corona multiplex, *iudex* erectus (CIC., Brut., 84) — Consulo te qui *philosophum* audis (Cic., Fam., IX, 26) — Thales *oleam* omnem in agro Milesio aliquando coemisse dicitur (Cic.) — *Fabam*, *lentem*, *rapum* serere — Pensilis *uva* secundas et *nux* ornabat mensas (HOR.) — Quod inter nos sit: ego illas platanos posueram, ego illarum *primum* videram folium (SEN., Ep. ad Lucil., XII) — Galli, in Capitolium evadentes, ne canes quidem, *sollicitum animal* ad nocturnos strepitus, excitaverunt (TIT. LIV., V, 47).

S. Leonardi in Helvetia.

I. JSS.

ARCHAEOLOGICA

Aqua, quam Romae bibimus, « ex Consule "Marcia" » an potius: « ex Quaestore "Marcia" » dicenda est?

Incipiente vere, deambulatio matutina inter amoena Urbanae Villae Humberti viridaria, grata exstare omnibus potest; quum vero ad plateam illam perventum fuerit, quae pilae ludentibus opportune amplum offert spatium, oculi nostri admirari possunt recentem molitionem, armónica cum septingentesimae villae dignitate exstructam, ad usum aquarum colligendarum earumque per Urbem distributionem destinatam.

Lapis qui circum circa inscriptus fuit, ita refert: *Ex Consule Marcia — Ex Pontifice Pia*. Recte ex Pontifice, nam Pius IX magnis expensis flumen fatiscens instauravit et auxit.

Sed non recte *Ex Consule Marcia*; nam Consul quidam Marcius Quintus Rex nunquam exstitit, sed tantum *Quaestor*, qui anno 144 a. Chr. ut Plinius refert (XXXVI, 15, 24) et, cum eodem, Strabo (XI, 515) aquarum ductum struxit, qui ab eo nomen derivavit. Cuius vi gratia, inscriptio corrigenda, et loco: *Ex Consule*, rectius: *Ex Quaestore*, scribendum erit.

Non omnes euidem de his archeologis rebus quaestionem faciunt, sed in hanc nostram Urbem ex toto Orbe doctissimi viri convenienti qui talem errorem notant, nec multis cum laudibus ad suos reversi profecto elucidant.

ALEXANDER AURELI.

Plus pulsator plerumque invenit quod temerarius scrutator invenire non potest.

S. BERNARDUS.

Audire volentis est; sustinere, nolentis.

S. GREGORIUS.

DE HUMANA VITAE LONGINQUITATE

Insunt nascentibus semina mortis; quotquot enim de mortuis vescimur, totidem ciborum induimus naturam. Inde illud Senecae: « Innumerabiles esse morbos miliaris? coquos enumera » et

*Debemur morti nos, nostraque;
Pallida mors aequo pulsat pede
Pauperum tabernas, regumque turres.*

Non igitur de sempiterno vitae cursu; sed agitur de longaevitate tantummodo provectiore; non ultra.

Hi diuturnius antea homines vixisse asserunt; illi nunc minime diuturnius homines vivere contendunt. Praeferam sententiam, cui nemo inficiabitur. « Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni; si autem in potentatibus — (fortioribus scilicet, Hebraea phras; nostra vero, in robustioribus) — octoginta; et amplius eorum labor et dolor ».¹


Compertum itaque est, senectutem validam obiter ad septuagesimum vitae annum olim productam; in robustis vero et fortibus ad octogesimum annum; post hosce senium, quotidiani dolores, quotidiani morbi, quotidiana pars mortis. Haec Davidico tempore, sed iam aliquot ante saecula Moyses gementis verba Iob referbat: « Breves dies hominis sunt; numerus mensium eius apud te, (Deus), est; constitisti terminos eius, qui preteriri non poterunt ». Senium, de quo David ait, apud Romanos quodammodo constituitur in lege, qua « depontani » vocabantur sexagenarii senes, quia suffragio, quod de ponte ferri solebat, privabantur. Auctore Festo utor. Haec autem senectus a senario illo numero nuncupata fertur; quae et apud Terentium in *Phormione* dicitur « senectus ipsa morbus » et a Cicerone in *Topic.*: « Senectus est occasus vitae ». Sed fuere apud vete-

res mirae senectutis exempla feliciter saeculum praetereuntis. Nos autem hic non singularia quaerimus, sed quae sint omnibus ferme communia.

At in his perscrutandis plura sunt habenda pree oculis. Et pree ceteris regio; vita humana enim brevior in regionibus, quae sunt tepidiore sub caelo, tropicalibus ardoribus solis obnoxiae; diuturnior in iis quae magis frigori patent, non acutissimo tamen. Omnia autem, quae germinantis vitae conditionem afficiunt in homine, aestuanti oboediunt aëri; atque ita in calidis locis maturior pubertas, maturior senectus, et maturior mors, si cum paribus, quot ad Boream sunt, comparentur. Altera quoque maioris vel minoris longaevitatis causa in cultu, in cibis, in labribus, in sollicitudinibus, in aerumnis reponenda est. Hac de causa qui se Monachismo addixerunt olim secessusque incoluerunt, ab omni consuetudine humanae societatis remoti, pastores qui nihil cum civilibus motibus, nihil civilibus cum partibus habuere commune, semper diutissime vixerunt, quinimo et vivunt; magna enim vitae lima ac tinea sollicitudo, moestitia, tristitia est. Cultus ipse vestium et ornamenta nonnulla praeferunt angustiora, quae stomacho, quae pectori, quae visceribus obsunt, quae cerebro odoribus, cuti cerussis ac stibi nocent.

Quot vero incommoda, tot morborum causae, tot gressus in mortem. Ebrietas autem, unguenta beneficarum plantarum condita, admixta liquoribus, liquamina, quibus cibi inficiuntur ut palatum irritent, et gulam, pro fame, provocent, ventrem onerent, habenda sunt quasi totidem vitae falces; « plures enim occidit gula quam gladius ». Ecquid autem dicemus vel de cibo semper eodem, quo viscera ad certos disponuntur morbos ante diem, vel de vino medicato, compositoque chemice, ut aiunt, non uvarum filio, sed pharmacopolae?... Quid de pane, cui frumentum pars est, non

¹ Psalm. David. LXXXIX.



integrum? Quid de piscibus benefica aqua infectis ut a venditore serventur? Quid de ipso vino ab uvis expresso cuprio et sulphure respersis, unde ventriculo tormina, vesciae, phlogosis, sexcentaque mala? Quibus omnibus cumulatis, superaddite herbarum morbos, qui perniciem perferant necesse est. Praeterea maciem in pueris, in adolescentulis ex vitio sanguinis, et ea quae a dissoluta vita pariuntur...

Igitur haec mihi aperta et verax et omni penitus libera praeiudicio videtur esse sententia, prouti subiicere iudico. Perspectis undique subsidiis, quibus et medica et chirurgica disciplina morbis medetur quamplurimis, vita singulorum producitur ultra hos morbos, victisque his revirescit; sed ipsa, ut ait Ennius, « vita vitalis », vis naturae in vita, vis sanguinis « in quo est anima hominis », debilior est, atque hinc in dies languidior, corpora ipsa breviora priscis, ossa exiguiora ossibus proavorum, ac de nostra aetate saepe illud reddit, quod Maro praeviderat :

Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulchris.

Cor nostrum, cuius motu vita cietur, aut saltem ostenditur atque perdurat, sexcentis aetate nostra patet malis, sexcentis turbatur incommodis, sexcentis efficitur detrimentis, quae antea non fuisse videntur. Propterea patet quod dum plures hodie convalescant a morbis, quibus antea mori necesse erat, vitae summa singulis brevior est, quia corpus languidius, minoresque sunt et exiguiores in sanguine vires. Itaque vitae exterminium nunc inter sexagesimum et septuagesimum annum, quod olim inter septuagesimum et octogesimum erat. Senes nunc inter hos decem annos, quasi « rari nantes in gurgite vasto » versantur. Vix in millibus reperies nonagenarium; saecularem vero... Rara avis huiusmodi in integra civitate vix reperitur; in quem si mors incurrit, publicis diariis annuntiatur.

At numquid, o lector, de diurniore vita nos desperabimus? Res in manibus praeципue nostris est; et integrum dat Clemensis criptogramma senis, qui nomen suum acrostichi obvolutum voluit suo sepulchro sic insculptum :

Tres I improbavi: Insidias, impietatem, in- [iuriam.

Tribus P processi: Parce, pudice, pie.

Tribus D deditus: Deo, domui, domino.

Tres P pavi: Parentes, prolem, proximos.

Tres E effugi: Ebrios, epulones, effrenos.

Tribus N nocui: Nemini, nusquam, nun- [quam.

Tres A audivi: Amicos, accolas, adhortato- [res.

Sic saeculum senior sanus superavi.

Celatum cognomen conditi cognosce.

H. P.

CERTAMINA POËTICA

Certamen Ruspantinum

Studium Urbis novum certamen poëticum latinum ex legato Ruspantinio pridie kal. superioris mens. Maii indixit, legibus quae sequuntur :

I. Qui in certamen descendere cupit, is ante diem trigesimam primam mens. Octobris MCMXL (*terminum peremptorium*) unicum carmen non minus quinquaginta versibus constans ac dactylographice exscriptum, suo sumptu mittat ad Praesidem disciplinae litterarum et philosophiae in « Romana Studiorum Universitate » cum nota: « Praemium Ruspantinum ». Carmen quodvis singulari nota distinguatur, iterata super involucro, sigillo munito, in quo nomen et domicilium auctoris signata fuerint.

II. Collegium trium virorum, a supra dicta disciplina delectum, involucra aperiet notae carminis victoris respondentia carminumque post illud quae meliora iudicata fuerint; ita auctorum nomina cognoscen-

tur. Praemium unicum et individuum erit iudicioque Collegii, licet numero plurium emissio, nulla dabitur provocatio.

III. In certamen tum Itali cives tum exterarum gentium, dummodo ne ex Iudaico genere orti, descendere poterunt.

IV. Collegium singula carmina, apte missa, in examen revocabit; definit quae ob seram exhibitionem aut vitium aliud excludi debeat, per comparationem iudicabit, meliora proponet, optimoque praemium assignabit, si praemio dignum reputaverit.

V. Praemium italicarum libellarum 3250 victori a Studio Urbis solvetur.

VI. Collegium operis sui rationem reddet, quae publici iuris fiet.

ANNALES

Europaeum discrimen

Ferrivia ab Oslo urbe ad Trondhjem a Germanis in Norvegia occupata, gestum illic proelium insectatio fit exercituum sociorum, ita ut supremus Norvegarum copiarum dux pro regionibus Loeren et Ramsdat ad ditionem cogatur. Germani ultra procedunt, Namson et Grong urbes in ditionem suam redigunt, inferiusque facilem rationem habent Norvegorum longe inferioribus agminibus pugnantium: lucta circum Narvik varia fortuna unice definitur.

Interim, die xi mens. Maii, Berolino denuntiant Germanico exercitui commissum esse ut tutelam Belgicae, Bataviae et Luxemburgi medium sese gerendi sibi sumat. Luxemburgi « magna Ducissa » rem quidem deprecatur, sed ne peiora contigant, se imperio subicit et in Galliam transmigrat; Belgica ad arma cives vocat qui libertatem suam defendant; Batavia bellum Germaniae indicit, cuius copiae, Luxemburgensi regione nulla mora superata, infesta arma inferunt tum in Bata-

viam, tum in Belgicam; quae Gallorum Anglorumque subsidia invocant. Accedunt haec quidem per Belgarum fines, at priusquam in invasas regiones perveniant, hostes Leodium oppugnant. Tum autem nova gerendi belli ratio a Germanis inducit: ab aëreis enim navibus per instrumenta casum retardantia milites in terram opportunis locis deferuntur, ea occupant tormentisque bellicis secum deductis servitutem incolis iniungunt. Batavi atque Belgae omni opere obsistere conantur; frustra vero contra Germanorum agmina sine intermissione omnique armorum genere instructa affluentia. Acerima pugna iuxta Mosae fluminis omnem cursum a Sédan ad Leodium pugnatur: Rotterdam ad ditionem cogitur, Haga a Germanis invaditur, dum Regina eiusque familia in Angliam vix profugunt; Batavus denique exercitus obsistere desinit.

Discrimen hinc ad Gallos et Belgas reducitur ad impediendum ne Germani in Galliam praecipitent; in vanum vero hic etiam cadit militum virtus magna clades: corruunt Antuerpia, Namurcum, Lovanium; Bruxellae ne civium strages fiat, hosti aperiunt portas; Gallorum copiae quibus commissum fuerat sese cum Belgis coniungendi excidunt earumque dux captivus fit; in Flandria provincia Germani victores in dies procedunt, ad Britannici freti portus properant: aegre in patriam redeundi Anglorum subsidiorum parti facultas datur.

Tum, die trigesima mens. Maii, Belgorum rex ne cives, desperatis rebus, ultro trucidandos obiiciat, se in fidem atque protestatem Germanorum permittit; qui eius militumque suorum virtuti honores praedicant et reddunt.

Conventio inter Apostolicam Sedem et Lusitaniam.

At paulo maiora canamus.

Die vii mens. Maii faustis auspiciis conventio Romae paciscitur Apostolicam Se-

tamque suo cursu, ut ita dicam, fluentes, ut non modo tibullianas sententias immutatis fere verbis exprimant, sed italicas quoque musas redolere videantur. Non semper vero auctor Carduccii legibus usus est, fortassis quo maiore versuum varietate minore taedio legentium animos afficeret. At, mea quidem sententia, melius ad rem, si Carduccii leges adstrictius esset sectus, quo magis et illa latini sermonis maiestas niteret et ipsum latinorum versum numerum, quantum fieri posset, italicica quoque lingua ostenderet. Verum, si ita videtur, parvi momenti res sunt, quae aliis nullum prorsus pondus habere videantur. Recte, quod quidem ipse viderim, Tibulli sententias, cl. Pitta et percipit et vertit, sed est ubi ab ipsis tibullianis verbis eum minus aberravisse velles. En, exempli causa, Tibulli versus (II, I, Is.).

*Quisquis adest, faveat: fruges lustramus et agros,
ritus ut a prisco traditus exstat avo*

sic italicice sonant:

*Tutti i presenti tacciano: i campi e le messi lustriamo
perchè continui il rito dagli avi tramandatoci.*

Alia verba mallem, latinis propiora, ut:
come l'antico rito degli antenati vuole.

Alio loco non bene res capta videtur, nam hexameter (II, 4, 1)

Hic mihi servitium video dominamque paratam

sic conversus est:

qui io vedo il servaggio e la padrona a me destinata.

At puto illud *paratam* significare velle «ut servitum mihi det».

Pylio autem Nestori auctor, quisquis ille est, *Panegyrici Messallae*, ait solem terna per orbem saecula fertilibus decuruisse horis; at non tercentos annos (*per tre secoli*), sed tres hominum vitas. In versu (II, 3, 8)

dum subigunt steriles arva serenda boves

illud *steriles*, ut manifestum videtur, non eos macros esse significat, sed infecundos. Verba autem (II, 6, 53) «satis anxia vivas» cur italicice sonant «tu in pena abbastanza vivrai»? Melius erat, ni fallor: «in pena abbastanza tu viva».

Alia, plus minusve eiusdem momenti, omittam, ne rem longius producam. Antequam vero finem facio, nonnulla typographica menda in la-

tino textu irrepsisse addam, quorum alia leviora sunt (p. 16 *vitum pro vitium*, 118 *ulquis pro aliquis*, 122 *Aenere pro Venere*, 130 *ruber pro rubor*, 132 *ferentur pro feruntur*, 142 *avis pro avi*, 174 *cometem pro cometen*, 224 *sut pro sunt*, 238 *murum pro merum*), alia graviora (p. 162 *semper pro super*, 188 *prossima pro promissa*, 236 v. 22 *deest nimium*).

Has mendas, aliasque, quae me legentem fortasse fecellerint, si iterum opus typis mandabitur, auctor e medio tollet et, maioribus curis expolitum, quod multimode iam laudandum est laudabilius faciet.

Minime autem praetermittendum puto cl. Pittam omnia, quae minus patenter, ad historicas vel mythologicas res pertinentia, brevibus verbis declaravisse. Tibulli textus ille est, quem Felix (non Franciscus!) Ramorinius in aedibus Barberae Florentiae edidit.

Ios. MOR.

SOCIIS MONITA

Ut iam diu assuevimus, fasciculi Augusti et Septembbris mensis in unum prodibunt, qui circa dimidium eiusdem Septembbris mensis edetur.


Quia ob temporis adiuncta cursus publicus ab Italia ad plures non modo Europae sed ad transmarinas fere omnes civitates intermissus sit, ad socios illuc residentes ALMAE ROMAE transmissionem et nos intermittere cogimur. Fasciculos qui interim prodibunt apud nos servabimus, eosque omnes sociis singulis qui ipsis caruere una trademus vix compositis in pace rebus, quod ut quo citius fiat ex animo pro universi orbis fortuna ominamur.

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS



VARIA

In civitate, qua mores hominum integri sunt, ingratitudinis metus persaepe solet cives coercere et in officio continere.¹

In civitate, qua mores hominum integri sunt, persaepe solet ingratitudinis metus cives coercere et in officio continere, ut minus mali ambitiosique sint, et libertas diutius conservetur. Ex omnibus autem Rebuspublicis quae amplum imperium possederunt Roma mihi ab ingratitudinis vitio maxime videtur abstinuisse; neque illius ullum aliud exemplum singulare exstare puto, quam id quod adversus Scipionem ediderunt. Coriolanus enim et Furius Camillus exilio iure multati fuerunt propter iniurias, quibus plebem affecerant. Et Coriolanus quidem hostilem adversus Populum Romanum animum conservavit, nec proinde in Urbem revocari potuit. Furius Camillus non modo revocatus ab exilio, sed per reliquum vitae tempus singulari in honore habitus fuit. Adversus Scipionem ingratissimi fuerunt: idque illis accidit propterea quod de illo nescio quae suspicarentur, propter rerum ab illo gestarum magnitudinem et singularem benevolentiam honoremque, quem ille apud omnes sua virtute conciliaverat; quae omnia tanta erant, ut ipsius auctoritas etiam senatoribus ipsis formidabilis videretur. Haec quum prius Romae inusitata fuissent, multis sapientibus displicebant, usque adeo ut M. Porcius Cato, vir tantae auctoritatis, ipsius magnitudinem allatram soleret; eoque auctore existimantur Tribuni et vivo diem dixisse, et mortuo rogationem promulgasse: asserebat enim is, eam Rem publicam liberam esse non posse, in qua unius viri potentia etiam Senatoribus ipsis

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

formidabilis esset. Huius auctoritatem si populus Romanus secutus, id adversus Scipionem patravit, aliquam utique excusationem meretur; quemadmodum etiam viros principes venia quadam dignos esse censemus, quum propter suspicionem erga suos ingrati sunt.

Pro iudicibus mensarum elegantibus

ESCARUM ORDO:

*Ius ex carne ad cibrum acta.
Panis frustula iecusculis conspersa.
Pullus gallinaceus assus.
Acetaria ovis commixta Russorum more.
Suavillum domesticum.*

Iocosa

TUCCIU in schola.

Postquam Magister de probitatis officiis longo sermone discipulos monuit, Tuccium interrogat:

— Ergo, Tucci, si in via forte nummum inveneris, tuum feceris?

TUCCIU: — Minime quidem.

MAGISTER: — Bene! Ecquid feceris?

TUCCIU: — Sumptum in aliquid eo facerem!

Aenigmata

I

Insula sum natalis Apollinis atque Dianae.

Frontem commutes! Insula rursus ero.

In Cycladum numero me claram reddit olim formosae Veneris marmorea effigies.

II

Sum verbum? Volo te sulcis suspendere terram.

Sum nomen? Veneror numina thure pio.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo proposta his respondent: 1) *Magister a) ludi - b) navis - c) gregis [ubi in pentametri initio cecidit verbum *mox*] - d) bibendi - e) populi - f) equitum [ubi pro turbis scribendum erat: *turmis*] ; 2) *Fumus, Funus.**

Ann. XXVII

Romae, mense Iulio MCMXL

Fasc. VII

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXL est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

HISTORICAE NOTAE¹

De Romana Republica a rogatione Tarentilia ad Decemviro depulsos.

Plebs iam Tribunos obtinuerat, crebrisque bellis validius pollebat, sed tamen ab agris colendis distracta miserior fiebat; ideoque iam an. CCCLXIX, irata plebs interesse consularibus comitiis noluit: «per patres clientesque patrum consules creati sunt T. Quintius, A. Servilius,² atque iussi nomina dare qui agrum Anxiis accipere vellent... audeo pauci nomina dedere, ut ad explendum numerum coloni Volsci adderentur; cetera multitudo poscere Romae agrum malle, quam alibi accipere». ³

Caius Terentilius Arsa, Tribunus urbis, patriciis patribusque acriter obstitit: Tribunorum numerus ad decem producitur; Icilius Tribunus legem obtinuit «de Aventino publicando; rogatio quam Terentilius Arsa a. CCCCLXII proposuerat, ut leges de imperio scriberentur, tandem accipitur. Inde delecti viri Spurius Postumius Albinus, A. Manilius et P. Sulpicius Camerinus, qui Graeciam peragrarent, Solonis leges describerent, mores institutaque nos-

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Maii.

² LIV., II, 64, 2.

³ LIV., III, 1, 7.

sent et referrent. Hi an. CCCLII rediere, rettulere consulibus. Appius Claudius consul favorem plebis ostentat, efficitque ut consulm loco decem crearentur viri legibus scribendis, imperio consulari muniti, ceteris interim omnibus abrogatis magistris et legibus; «ad misericordie plebeii controversia aliquandiu fuit»; postremo concessum patribus, «modo ne lex Icilia de Aventino publicando aliaeque sacratae abrogarentur», ait Livius; ⁴ et Tullius: «Initio ratio est ut et consules et tribuni magistratu se abdicarent atque x viri maxima potestate sine provocazione crearentur, qui et summum imperium, et leges scriberent». ⁵

Decemviri primi a CCCLI a. Chr. nat. creati fuere Appius Claudius, T. Genucius, P. Sextius, L. Vetrius, C. Iulius, A. Manilius, P. Sulpicius, P. Curiatus, T. Romilius, Sp. Postumius; patricii omnes, omnes sese modestos praestitere, imprimis Appius, legesque decem condidere atque proposuere populo. Duo tamen leges deesse videbantur; quibus condendis sequenti anno rursus Decemviri creati sunt. A. Claudio iterum electus; quidam etiam e patriciis nunc additi feruntur. Tertio quoque insequenti anno Decemviri creati, ac

⁴ LIV. III, 32, 7.

⁵ De rep., 11, 36.

tertio creatus Appius, qui tandem animum suum plebi hostilem pandidit, effectique ut altera e duabus legibus additis vetita conubia confirmaret inter patricios et plebeios. Senatus silet, plebs gemit oppressa, novamque meditatur secessionem eo ipso quo leges XII tabularum in foro publicanturn adprobandae.

Sed ecce hostes: urget concordia. Quidam e patribus vehementer reprehendunt decemviros de sacrosancta reipublicae constitutione violata, de tyrannide instaurata: hostes profligantur, opera praesertim a virtute L. Licinii tribuni militum, qui tamen plebi studens, trucidatus est. Appius Claudius, captus in honesta libidine, Virginiam, Icili sponsam, iniquissimo iudicio, servo adiudicat, sibi dein quae siturus. At Virginius pater eam sua manu mactat, ut tanta ignominia liberet. Tumultus exoritur, Decemviri depelluntur, imperium interregi defertur, qui binos novos consules creat: restauratur inde regimen consulare, restauratur provocatio ad populum, restaurantur tribuni plebis (CCCXLVIII). Concilia plebis tributa reipublicae organa fiunt, ut quae plebs iuberet, ea vim legis et pro patriciis haberent. Tandem, auctore M. Duilio decretum est, ut capite damnatur si quis impediret quominus tribuni plebis eligerentur, aut provocationem ad populum abrogaret; utque non pluries iidem ad consulatum eveherentur. Leges XII tabularum populi probationem obtinent.

Tribunos plebis repente tantam nactos esse auctoritatem ut vel conscribendos exercitus prohiberent, consules in ius vocarent, mulctarent, nemo credit: ea quae serius facta sunt, huc ante feruntur. Si, ut plane novimus, exercitus e patriciis fere exclusive constabat, quum a plebe paucissimi armorum comparandorum vestiumque victusque expensas vix sustinere possent, qui tribuni plebis delectus impedire poterant?

SILVIUS ROMANI.

⁶ Cic., Brut., 62.⁷ Liv., VIII, 40.

Si plebeii « agro publico electi » dicebantur, quomodo tam repente plebeii nova atque inaudita iura sibi quae sierint? Quomodo eadem a Senatu obtainere potuerunt, si Senatum nec ingredi poterant? Annalium scriptores, qui haec referunt, eadem sua tempora prae oculis habent, eaque retro multo trahunt; « multa enim quae facta non sunt: falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa et ad plebem transitiones »...⁶ « viatiatam memoriam funeribus laudibus reor falsisque imaginum titulis dum familiae ad se quaeque famam rerum gestarum honorumque fallenti mendacio trahunt; inde certe et singulorum gesta et publica monumenta ferunt confusa ».⁷

Commotiones plebis plures factas fuisse nemo negat, et *nexus* excutere pro viribus conatam fuisse; non excussisse tamen ante an. prope CCC in comperto est; fatetur enim Livius: « Porcia tamen lex sola pro tergo civium lata videtur... Valeuria lex (quae lata est an. CCC) quum eum qui provocasset virgis caedi securique necari vetuisset, si quis adversus eam fecisset, nihil ultra quam *improhe factum* adiecit ». Longum igitur tempus plebs acriter contendit ut paria iura obtineret.

Quamobrem narratio haec de vetustissimo tribunatu plebis deque agrariis contentionibus non pauca habet quae secum pugnant, quaeque tempori assignari certo cuidam definito possint. Licet enim in fragmentis, si quae incendio gallico superfuerunt, vestigia quaedam contentionum harum vetustissimarum bellorumque sint, singula vero omnia quae traduntur, et orationes et iudicia de interno quorundam animo nihil exhibere potuerunt. Non tamen ita diffidendum reor, ut lex XII tabularum eo tempore editam esse dubitari possit.

DE JACEKO MALCZEWSCHIO PICTORE POLONO

Hominum vivendi disciplinam Fortunae, deae inconstantis, vicissitudinibus conformari atque saepius ne temporis quidem diuturnitate interire mirandum sane non est. Quod si homunculo hoc evenit, eo magis amplissimis nobilissimarum artium cultoribus, quippe quibus, nescio equidem quonam interiore animorum motu, acquiescendi in insperatis rerum vicibus facultas quaedam, humanitati mixta, contingere interdum soleat. Quo facilius intellegamus sic profecto se rem habere, nomine, exempli causa, unum Jacekum Malczebschium, Polonum pictorem clarissimum.

Is igitur, Radomi anno MDCCCLIV natus, aliquot annos ruri transegit; postea vero et rebellionis illius causa, qua luctuose annus millesimus octingentesimas sexagesimus tertius insignitus est, et propter infandum bellum, quod anno MCMXIV insequentibusque annis inter universas gentes exarsit, tanta laboravit commotione, ut quos animo angores squaloresque agitaret tabulis deinceps pictis exprimeret.

Prius enim is fractas deflevit patriae renovanda speculas; posterius vero multa graviaque una cum ceteris Polonis, antequam patriam iugum, nimios per annos toleratum, excutientem videret, est passus.

Itaque voti cruciatusque visionem tabula, quam Ossarium nuncupavit, effinxit: in ea enim funereus campus, crucibus redundans, sexcentorum militum Polonorum, pro patria bello caducorum, corpora gremio suo molliter, tamquam mater filiolam venustissimam immature morte correptam, cohibens, longe lateque patet; ibique medius Iesus, celeste prae se gaudium ferens, uni superstiti occurrens osculabundus incedit, atque, dum mortali viro insperatum affert solacium, almam

Dei maiestatem gratae hominis suavitati miscet. Si vero mortuis fas est ex altera mundi regione quae in terris agant homines cognoscere, haud absurdum est opinari Polonum pictorem, dilectam sibi patriam, nuperrime in servitatem abductam, contemplantem, amaras fundere lacrimas, atque ut aliquando, ferreis flexis fractisque fatis, resurgat exorare.

Tria autem milia tabularum pictarum reliquit Jacekus Malczebschius, quarum trecentae perfectissima absolutissima sunt opera; in iisque adumbrandis perficiundisque quam artis suea speciem animo conceptam haberet plane ostendendum curavit. Etenim humanum genus trifariam ad summum pervehi posse cogitabat, videlicet precibus Deo adhibendis, rebus veris investigandis, caritate exercenda; at primas caritati tribuere oportere, quandoquidem eius gratia quanta esset Dei potentia didicissemus; nam artifices magistrosque quanta caelestia atque convexo nutantis pondere mundi miracula essent cognovisse adfirmabat.

Quod si lectores uberioris Malczebschii vitam moresque cognoscere velint, sciant eum optimum fuisse Cracoviensis Academiae alumnus, ibique Iohanne Aluisio Moleico, clarissimo pingendi magistro, esse usum; praeterea aliquando Athenaei moderatorem creatum esse; insuper in Asiam se contulisse in Italiandum venisse, atque Bellini musici, Titiani, Veronensis Tinctorectique pictorum admiratione captum esse. Nam illud confiteri oportet, eum cuiuslibet significationis, eximiam quandam pulchritudinis speciem redolentis, peramantem fuisse.

Septuaginta quinque vixit annos; natus enim erat anno MDCCCLIV, atque, cum anno MCMXXIV oculorum luminibus captus esset, e vita placidissime, Morti, ab eo saepius in tabulis effictae, subridens, migravit. Nunc anastasim praestolatus et Cracoviae, humillimo Tertiarii Sodalitatis

Franciscani sago indutus (etenim catholicius quam qui maxime fuit) sepultus est.

Magnorum est virorum posteris tradere lampada, ut Patriae redintegretur regnum!

Prof. JOHANNES BAPT. BELLISSIMA.

De Christianorum martyrum suppliciis

Alias, in festo Ss. Apostolorum Petri et Pauli, de suppliciis crucis et decollationis in hoc commentario scrisimus;¹ placet hodie argumentum resumere atque de aliis, quibus Christiani martyres subiecti sunt, nonnulla dicere. Quum autem adventat Laurentii diaconi annua commemoratio, a vivicomburio, hoc est « hominis vivi combustio », initium faciemus.

Huiusmodi cruciatus serius apud Romanos inductus fuit, licet poena ignis, ut genus torquendi, iam usitata multo ante imperii aetatem inveniatur. Primum exemplum Christianos respiciens in martyrio S. Polycarpi (an. CLV) habetur;² sed frequentissimum evadit saeculo III, praesertim in Decii persecutione,³ qua inter alios numerantur martyr Pionius, Smyrnae;⁴ martyres Lucianus et Marcianus, Nicomediae;⁵ martyres Carpos, Papylos et Agathonices, Pergami.⁶ In persecutione Valeriani, Fructuosus episcopus, Augurius et Eulogius diaconi, Tarracone;⁷ diaconus Laurentius, Romae; et in ultima persecutione prorsus innumerabiles martyres combusti sunt: « Omnis sexus et aetatis homines — ait Lactantius⁸ — ad exusionem rapti: nec singuli, quoniam tanta erat mul-

tudo, sed gregatim circumdato igni comburebantur ».

Mos erat initio ut damnatus vestibus exueretur, et ad palum ligaretur in sug- gesto erectum, aut etiam clavis config- retur; idque publice, praesertim in circo vel amphitheatro. Verum, Tertulliani tem- pore, non amplius elevabatur damnatus super lignorum acervum, sed sarmentis circumdabatur, ita ut « sarmentitii », seu sarmentis digni Christiani vocarentur.⁹ Praeterea incredibile est quot sub poenis tantum supplicium inflictum fuerit, quum in arbitrio esset magistratus iure gladii pollentis illud quomodo vellet adhibere. Oleum fervens in cacabo paratur, in quo Ioannes Evangelista mergitur;¹⁰ vel pix in qua S. Potamiena moritur;¹¹ in calce viva affliguntur Epimachus et Alexander sub Decio;¹² lectus vel sella ferrea can- dens non amplius ad quaestionem, sed ad extremum adhibetur supplicium.¹³

Plures imagines nobis S. Laurentii sup- plicii memoriam tradiderunt; pluris vero apud criticos fit martyrium Petri, Diocletiani imperatoris cubiculo praepositi, qui lente ac membratim in craticula assus est.¹⁴ Eodem modo narrat Eusebius plures martyres assumptos fuisse Antiochiae in eadem persecutione,¹⁵ et Timotheum quam lentissime in urbe Gaza crematum.¹⁶ A Lactantio denique scimus, an. CCCIX, Galerium novam lente urendi martyres rationem invenisse, nempe inter ardoris cruciatus per aspersiones aquae frigidae aut eiusdem deglutiones impedire, quominus patientes festinanter expirarent; unde obti-

nuit ut tantum supplicium per integrum diem aliquando perduraret.¹⁷

* * *

Ex adverso minima poena relegatio fuit, cui non pauci Christiani fuerunt obnoxii, iisque nobilissimi, a primo ad quartum usque saeculum. Poena haec de iure bonorum proscriptionem haud secum ferebat, ante saltem Decii persecutionem; nam huius imperatoris tempore scimus relegatos « extores, ex patria pulsos, et bonis omnibus spoliatos fuisse »,¹⁸ et in altero Valeriani edicto (an. CCLVIII) hoc exstisit inter alia praeceptum: « Matrona ademptis bonis in exilium relegateur ».¹⁹ Hac poena Christiani plures multati fuere, inter quos Ioannes Evangelista in insula Patmos relegatus;²⁰ duae Domitillae in insulis Pandataria et Pontia sub Domitianus;²¹ Cornelius papa ad Centumcellas, ubi illum mortuum esse Catalogus Liberianus affir- mat, et eius successor Lucius I sub Gallo et Volusiano;²² S. Cyprianus relegatus in territorio Curubitano,²³ et Dionysius Ale- xandrinus, relegatus primum Kephro, deinde apud lacum Marcotim sub Valeriano;²⁴ Papa Eusebius sub Maxentio, in Si- cilia relegatus, ubi mortuus est iuxta Damasianum illud:

*Pertulit exilium Domino sub iudice laetus;
Litore Trinacrio mundum vitamque reliquit.*²⁵

Huiusmodi poena causa fuit ut in deser- tis ac remotissimis orbis regionibus saepe Christi Evangelium propagaretur, sicuti de

Dionysio Alexandrino legimus, quem pri- mum in Lybia Christum praedicasse testa- tur Eusebius.²⁶ Haec poena denique ali- quam personarum acceptiōem in iure sup- ponit, ut patet his verbis in sepulcrorum violatores sancitis: « Qui sepulcrum vio- laverint, aut de sepulcro aliquid detulerint, pro personarum qualitate, aut in me- tallum dantur, aut in insulam deportan- tur »;²⁷ quo in textu deportatio pro exilio seu relegatione accipienda videtur.

Praeter insulas quas nominavimus ut loca relegationis virorum illustrium, famosa illa Aegypti regio fuit, quam Oasim vocarunt. « Est quoddam genus, quasi in insulam, relegationis in provincia Aegypto, in Oasim relegare »;²⁸ ac notum est pa- pyrum illud Musaei Britannici, in quo presbyter quidam Psenosiris Apolloni presbyterio mulierem quamdam Alexandri- nam in Oasi relegatam commendat. Quod quidem documentum non est Diocletiani persecutione anterius; in Oasim enim Va- lentiniani tempore dumtaxat Christiana fides lata videtur, et duorum presbyterorum tranquillam habitationem ibi pro certo ponni dixeris.

Relegatio denique a deportatione distin- guenda est: haec enim secundus et quidem gravior poenae gradus fuit, eamque civiliū iurium amissio comitabatur, neque ab ea custodia, omnis generis privationes, verbera aliaeque saevitiae videntur fuisse aliena. Pontifex Pontianus (CCXXX-CCXXXV) in Sardiniam (*insulam nocivam*)²⁹ depor- tatus, ibi legitur « afflictus, maceratus fu- stibus defunctus esse ».³⁰ Notabilia quo- que illa sunt iurisconsulti Modestini verba: « Deportatis vero hae solent insulae assi-

¹ Cfr. an. XXIII, fasc. 6.

² *Martyrium Polycarpi* apud RUINART.

³ EUSEB., *Hist. Eccl.*, VI, 41, 15, 17.

⁴ *Passio S. Pionii*, XXI, 2-4, ed. GEBHARDT.

⁵ *Acta Ss. Luciani et Marciani* apud RUINART, p. 151.

⁶ *Martyrium Ss. Carpi, Papyli et Agatonices*.

⁷ *Acta Ss. Fructuosi, Augurii et Eulogii*.

⁸ *De morte persec.*, c. 15.

⁹ TERTULL., *Apol.* 50: « Licet nunc sarmenticos et sematios appelletis, quia ad stipem dimidiū axis re- vincit sarmentorum ambitu exurimur ».

¹⁰ TERTULL., *De praescr.* 36.

¹¹ EUSEBIUS, *Hist. eccl.*, VI, 5.

¹² Ibid., VI, 41, 17.

¹³ PRUDENTIUS, *Peristephanon*, II.

¹⁴ EUSEBIUS, *loc. cit.*, VIII, 6.

¹⁵ Loc. cit., VIII, 12.

¹⁶ *De mart. Palest.*, 13.

¹⁷ *De morte persec.*, 21.

¹⁸ CYPRIANUS, *Ep.* 16 et 18.

¹⁹ Id., *Ep.* 80.

²⁰ S. IRENÆUS, *Adv. Haeres.*, V, 30, 3.

²¹ DION. CASS., LXVII, 13; EUSEBIUS, *Hist. Eccl.*, III, 18.

²² Cfr. DUCHESNE, *Lib. Pontif.*, t. I, p. 5.

²³ Acta S. Cypriani, 1, 2.

²⁴ EUSEBIUS, *Hist. eccl.*, VII, 11, 12, 13.

²⁵ MAX. IHM., *Dam. Epig.*, p. 25, n. 18, vv. 8-9.

²⁶ EUSEBIUS, *Hist. Eccl.*, VII, 11, 12, 13.

²⁷ IUL. PAUL., *Sent.* II, c. 13.

²⁸ Digest. XLVIII, 22, 7.

²⁹ Catalogus Bucherianus in DUCHESNE, *Lib. pont.*,

1, 5.

³⁰ MOMMSEN, *Gest. Pont. Rom.*, . 24, — Cfr. DE ROSSI, *Roma sott.*, II, 76 sq.

gnari, quae sunt asperrimae, quaeque sunt paulominus summo suppicio comparanda». ³¹

Restant «damnatio ad metalla» et «ad bestias», de quibus in proximo numero.

S. S.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

Quomodo reddatur negativum cum coniunctione «et».

Negativa sententia pro «et non» recipit «neque (nec)»; pro «et ne», «neve (neu)». Dicitur «neque quisquam, neque ullus, neque usquam etc.» pro «et nemo, et nullus, et nusquam etc.».

EXEMPLA: Multi, quum legunt bonas orationes, probant oratores, neque intelligunt qua re commoti probent (QUINT.) — Druides a bello abesse consuerunt, neque tributa pendunt (CAES.) — Iugurtha timebat populum Romanum, neque adversus iram eius usquam spem habebat (SALL.) — Neque eorum quisquam est, cui quidquam in arte sua deesse videatur (CIC.) — Se suo nomine bellum gesturos dicebant, nec cuiusquam imperio obtemperatus (CAES.) — Opera dabatur, ne quod iis colloquium inter se, neve quae communicatio consilii esset (TIT. LIV.) — Caesar milites cohortatus est ut suae pristinae virtutis memoriam retinerent, neu perturbarentur animo (CAES.) — Non enim temere nec fortuito sati et creati sumus (CIC.) — Caeduntur Hispani nec plus quam quatuor millia hominum effugerunt (TIT. LIV.) — Non convalescit planta quae saepe transferitur, neque venit vulnus ad cicatricem in quo crebro medicamenta tentantur (SEN.)

³¹ HUSCHKE, *Iurisp. ante iustin.*, p. 644. — Cfr. TACIT., *Annal.*, II, 85.

¹ Cfr. fasc. sup.

— Multi omnia se simulant scire, nec quidquam sciunt (PLAUT.) — Veni Athenas, neque me quisquam ibi agnovit (CIC.) — Impedit consilium voluptas, nec habet ullum cum virtute commercium (CIC.) — De Quinto fratre nuntii tristes nobis nec varii venerant (CIC.) — Nihil fieri sine causa potest nec quidquam fit quod fieri non potest (CIC.) — Quintus frater quid agat, si scis nequedum Roma es profectus, scribas ad me velim (CIC.).

Hendiadis

Ex duobus substantivis coniunctione coniunctis, saepe alterum alterius logice genitivus est.

EXEMPLA: De quo hoc homine auditum est unquam, quod tibi accidit, ut eius in provincia statuae in locis publicis positae, partim etiam in aedibus sacris, per vim et per universam multitudinem (=per vim universae multitudinis) deiicerentur? (CIC.) — Id tempus necessitasque postulat (CIC.) — Chaldaeorum praedicta quotidie videamus re et eventis refelli (CIC.) — Vides quantum distet oratio tua ab re ipsa et veritate (CIC.) — Femina cinerem et sponitos suscit ignes (VERG.) — Silius veterum oratorum exempla referebat, qui famam et posteros praemia eloquentiae cogitavissent (TAC.) — Molemque et montes insuper altos imposuit (VERG.) — Multi dolorem, quem facile tulerant, non ratione aut sapientia tulerant, sed studio potius et gloria (CIC.) — Est tarda illa quidem medicina, sed tamen magna, quam affert longinquitas et dies (CIC.) — Haec opinio constat ex antiquissimis Graecorum litteris atque monumentis (CIC.) — Omnes eius copias (=omnium copiarum) acerri-umque impetum moenibus, litoribus clasibusque suis Rhodii exceperunt (CIC.) — Marcellus, quum tam praeclarum urbem vi copiisque cepisset, non putavit ad laudem populi Romani hoc pertinere, hanc pulchritudinem, ex qua praesertim periculi

nihil ostenderetur, delere et extinguerre (CIC., *Sign.* LIV, 120). — Officiis et administrationibus (=officiis administratio- nis) potius non peccaturos praeponere quam damnare quum peccassent (TAC., *Agric.*, XIX) — Erant quos varia sors rerum lacrymaeque et misericordia subiret (TAC., *Hist.*, II, 70).

S. Leonardi in *Helvetica*.

I. Jss.

AD MARIAM GORETTI

puellam duodecennem in Agro Neptuni pro pudicitia barbare peremptam d. VI mens. Iulii MDCCCCII.

Quam pulcra fulges floribus
prae ceteris, virguncula,
squalentis Agri, candidam
respersa vestem sanguine.

Te rustico sub tectulo,
parens ab aura primula
horrere sordes edocet,
amore Iesum prosequi.

Veri superni corculo
hiante nectar imbibis,
labisque foedae nesciam
agis serena aetatulam.

Quam saepe flexo poplite,
in pratuli recessibus
caelos ocellis suspicis
caelosque ocellis exhibes!

Sic crescis annis innocens,
matris tuae solatium,
ornare sollers flosculis
Diae Parentis arulas.

Sensere te materculam
lusoriis crepundiis
precesque doctam promere
fraterculi, sororculae.

Flos integelle, saeculi
e senticeto prodiens,
moras ineptas corripe,
te Christus aris advocat.

*Lux alma fulget, floreo
praecincta serto tempora,
candore amicta, caelicum
te sistis ad convivium.*

*Amor flet udo lumine,
pectusculo cor emicat,
Iesus tibi mox insilit
suoque signat osculo.*

*Refulsit inde clarior
domesticis virtutibus
piaeque vitae moribus
nitor supernae gratiae.*

*Sed casta quid nubecula
infecit olim lumina?
quae cura cor tabescere
insons adegit anxia?*

*Vir improbus te turpibus
incessit heu sermonibus,
tuum, petulca bellua,
quaerens ligustrum carpere.*

*Horrens tremensque defugis,
Iesum, Mariam deprecans,
ut te procaci daemone
intaminatam protegant.*

*Verbis sed instat aggredi
te sordidus salacibus,
tempusque quaerit aptius
molimini nefario.*

*Incumbit Agro plumbea
Neptunio Canicula,
domi, quid instet inscia,
tu sola gnava consuis;*

*cum moechus ecce perfidus,
rapacis instar alitis
nacti columbam, quidlibet
audax patrare, prosilit.*

*Verbis titillat blandulis,
minatur, urget acrius...*

*— Non — tu reponis fortiter —
malo mori quam pollui! —*

*Sed impotens libidinis
manus protervus iniicit:
— Non! — eiulas — Non! Desine!
Time gehennae incendia! —*

*Furens, repulsus impedit
sicarius te cuspide:
— Absiste, inique, — clamitas —
ad inferos damnaberis! —*

*Ictus sed ille duplicat,
immitis, in latusculum;
tu casta tegmen contrahis
scissum, pudoris anxia.*

*Bis septies transverberat
corpusculum tenellulum;
turpata tantum sanguine,
intaminata concidis!*

*Quam pulcra virtus enitet
ipso vel ore emortuo!
quam sancta sunt novissima
quae verba anhelans exprimis!*

*Solata matris lacrimas,
truci viro, ferociter
qui te peremit, invocas
ultra Dei clementiam.*

*Custos Parenisque virginum,
MARIA, velo contege
hanc candido puellulam,
agnosce mater filiam.*

*Flos Agri, aratri nescii,
et Lilium convallium,
da, CHRISTE, sponsae munera
tuae, crux prodigae.*

*Tu fidus ipsi proximas,
donas amanter osculum,
subis hianti pectori
ad Caelites viaticum.*

*Caelesti mox diffunditur
iubar per ora languida...
aeterni, ocellis, nuntius
ridet diei Lucifer...*

*Par Angelis, virguncula,
victrix ad astra convolas,
complexa palmam martyris
et virginale lilyum.*

*Nunc expiato crimine,
peremptor ipse poenitens,
tuae, sepulcro cernuus,
virtutis est praecolum.*

*Sordes tot inter saeculi
esto puellis omnibus
exemplar innocentiae
fortisque castimoniae.*

HIRPINUS.

DE BALNEIS

Quum eo simus in tempore, iisque in locis, quin etiam et in communi hominum sententia, quibus praestat campos linquere sole aestuantes, et vel montana nemoribus umbrosa et blandientibus ventilantibusque auris iucunda arripere, vel ad fluenta, vel ad marinas undas maturare iter, et moram facere; opportunitas monet, reliquis praetermissis quae sunt ad montes, de balneis dicere; non enim quis poterit, prope aquas allicientes moratus, ab iis abstinere, sive trahat voluptas, sive rapiat exemplum.

Cui tractationi dum admovemus una mentem et manum, duplex intendimus, scilicet et nonnulla narrare, quae ad rem memoria suppeditat, et nonnulla subiicere, quae salubria legentibus fore speramus.

Vetus Igiae documentum in aphorismo illo medici magisterii continetur, quod docet in recto usu, in temperantia et moderatione salus; in abusu, in excessu calamitas, interdum suprema. Vita et mors, vel in balneis, exiguo dirimuntur discrimine. « Aequa vita vinum in sobrietate » sacrae Hebraeorum litterae monent; et Apostolus iterum: « Uttere modico vino propter stomachum ». Quid ergo si sobrietatis praeter fines veharis? Quid si modicum illud fueris praetergressus? Vitium erit; atque ebriosus, temulentus, tremebundus ante diem tibi parabis interitum. De balneis eadem tenenda; male qui penitus abstinet; male qui balneis inconsultum se penitus credit; nam redit Horatianum illud etiam balneis aptandum:

In vitium dicit culpae fuga, si caret arte!

At quaenam « culpa »? Neglecta mundities corporis, vel eadem nimium cachinnis omnibus quae sita, quibus pariter Venusino versu non inscite, nec inepte carpuntur

Pastillos Rufinus olens, Gorgonius hircum.

Verum in humanis rebus haec semper conditio; nam ad ea, quae suscipimus utilitate perspecta, delectatione trahimur habitu constituto; hoc inito semel, voluptate mulcente et suadente, sine more modoque prosequimur, etsi noceant; nocentibus autem necamur, aut ita saltem affligimur, ut reliquum tempus vitae doloribus et infirmitatibus conteratur.

Adeundae aquae, intrandae, corporibus nostris idoneae, opportunae, (necessariae imo sunt interdum), duabus de causis potissimum. Altera est, qua sordes a corpore amoveamus, quae, sudoribus, pulvere frequentioribus, congeruntur. Idque non solum est optimum ad salutem lavacrum, sed est veluti debitum et officium unicuique gravissimum ex reverentia et obsequio erga reliquos, quibuscum versamur. Quid enim turpius, quid nocentius, quid intolerabilius foetore sordium sempiternarum? Abominabilis ac fugiendus mihi semper erit, qui graveolens ad me venerit colloquuturus; quid si in nares inciderit delicatas, uti ex viris nonnulli, plurimi ex pueris, feminae fere omnes? Ergo, si res intra lavacrum sit, brevis quidem, etsi quotidiana, habebitur, et quidem saluberrima iudicabitur. Verum inde facilis erit quoque pernicies, et ingruens paene ruina, si voluptati inserviatur, quae ex frigidioribus aquis est, sole aestivo agros urente, nec iam satis sit quantum lavacro sufficiat, sed quantum omnino expletat voluptatem. Tunc enim humores, qui circa pellem sunt, frigore premente, repelluntur in intima, et nobiliora viscera invadunt, ibique, seu segnes manent, seu acreidine propria corrodant, pessimorum origo flunt infirmitatum, quibus nullum par sit remedium, et impos habeantur medicus, seque talem fateatur ad eruendas et sanandas, etsi causam aegritudinis altius perspiciens intueatur.

Altera causa adeundarum nobis aquarum penitus in necessitate sita est; at medicorum haec regenda ac temperanda praescriptis, nec voluptatis causa longius praecerto procedendum, quin etiam nec devandum, ubi aegrotus ipse eas non experiatur sibi adversantes, et in deterius trahentes iam inde labefactatam salutem. Longum est enumerare singulas aquarum species iuxta remedia, quae morbis singulis singularae praebent. Sunt sulphure imbutae, prouti Albulae apud Tibur celeberrimae, et antiquitus appellatae « sanctissimae »; haec igitur infirmitates ferme omnes, quot cunctem afficiunt, felicissime curant. Ecquid igitur inter hasce et affectos phthisi, plagi interiore, podagra, febris tertianis, et illo, morborum omnium morbo pessimo, qui dicitur senectus, et senium? Conveniunt gentes, praeter eos, quos iuvat, conveniunt, inquam, ad Aquas sanctissimas et saluberrimas voluptate suadente, suadente amicorum consortio, sine quibus esse non possunt; convenient in mortem. Dicenti credite, qui tres amicos sibi carissimos, viros dignitate, scientia, auctoritate venerabiles, inopina morte illic amisit. Sunt aquae thermales; *Labanas* olim vocabant, uti sulphureas Tiburtinas, ex veteri Hetruscorum vocabulo *laban*, *liban*, scilicet albantes, unde Albana moenia, quae Iulus erexit. Huc et convenient, et ad nauseam usque morentur, qui artrite, qui rheumatismo, ceterisque humoribus per ossa nervosque et membra diffusis torquentur. Sudoribus profusis malignum pariter humorum emittent; at quid hasce inter aquas et languentes, debiles, exhaustos? Convenient in mortem. Ergo pro iis, qui salutis causa ad pestes corporis deponendas adeunt aquas salubres, maxime cavendum iudicandumque antea est quid prosit, quid obsit; et iudicium hoc prorsus in medico

sit, non in sententia et libitu adeuntis; deinde quotquot exercent se balneis ita se temperent, ut in rebus sit modus, ne quod usu profuisset, noceat et vel occidat abusus.

Sed undenam diebus nostris tam frequens utriusque maris litus? Quia ambitionibus, muliebribus praesertim, lubet illic immorari, excellere; si enim totidem infirmi essent, quot illuc abeunt ad balnea, orbis terrarum universus nosocomium ingens unice iudicandus esset. Non nego rigentes undas maris, tot salubribus adminiculis conditas a sale ad iodum, esse iucundissimas, esse removendis nonnullis infirmitatibus optimas; verumtamen in eas via sternitur non necessitate curationum, sed flamine ambitionum.

Ita porro ad vetera illa redimus, quae historiae nobis et rudera testantur, scilicet ad usum balneorum, quae ab ipsa humana- rum rerum origine fuisse credimus; nunquam enim homo se ab aquis abstinuit ad lavacrum, necessitate cogente imperiosius. Veteres poëtae, uti Homerus, de suis heroibus ista ferunt; quin et de Nausica; in sacris litteris apud privatos balnea fuisse scimus, sive Bersabeae historiam narretur, sive de Susanna, sive de filia Pharaonis Nilum adeunte, qua Moyses infans servatus est. Habemus ergo in Aegypto, in Palestina, in Perside quod superest. Nec mirum; nam ad maris et ad fluminum et fontium undas Orientalium regionum aestus invitat.

Fuisse et idem videtur mos etiam ultra; quippe Deae, uti Iuno, marinis utebantur undis ad vires recuperandas et iuuentum. Euripidem balneis curavere Aegyptii vita periclitantem. De Romanis autem supervacaneum credo aliquid addere; habemus enim tot publicas thermas, quae nomine tantum paginam integrum compleverint, nempe Aemilii Pauli balnea, thermas Antonianas, Flavias, Diocletianeas, Neronianas, Agrippinas, Constantinianas, aliasque sexcentas ruderibus enormibus rem testan-

tes; habemus autem in reliquis villarum sumptuosissimarum pariter privata balnea totam per Italiam ferme visenda; ne quid dicam de iis, quae Pompeiis, quae passim alibi reliquiis adhuc exstant ubique, in Hispania, in Galliis, in Africa Romana; ita ut iure dici possit facilius tunc exstissem sine habitatore urbem, sine domino domum, quam aut urbem aut domum sine balneis, sine thermis. At supervenientibus barbaris et omnia vastantibus, et civibus dissipatis, et inopia publica premente, publicae thermae neglectae perierunt, balnearum correptus est usus, potissimum quia in illis magna morum erant naufragia, ita ut Hieronymus virginibus omnino interdiceret.¹ Nostra aetate reviruit usus; et utinam sapiens sit, ... atque decens!

P. d. V.

TANNHÄUSER EQUITIS FABULA

Ex poëmatibus optimis, quae Richardo Wagnerio placuit musicis vestire concentibus, ea praesertim de causa quod Germanico purissimo ex fonte deducere sese aquas existimaverit, multa contra, uti Tristani atque Isautiae, uti Parsifalii carmen in Germanicos fines ex celtica gente difluxerant. Huiusmodi est etiam Tannhäuseri equitis fabula, quam ille ex versibus praecipue ornatissimis ab Henrico Heine confectis primum novit. Ea quidem non ante occidentem iam XIV saeculum Germanicas a cantoribus recinitur; paulo post Arminius quidam von Sachsenheim poëma contextit prolixum de magico quodam monte, cuius in iugis aeternum imperat ver, cuius silvas, omnibus voluptatibus refertas, Venus ipsa possidet una cum equite sibi despontato, nomine Tannhäuser: inde mons ille voluptatum, mons Veneris dictus (Ve-

¹ Epist., lib. II, XVII ad Laetam.

nusberg). Verum paullatim crescit fabula, atque novis ditatur fictionibus, quo adusque saeculo XVI in cantiunculam, lectam profecto atque suavissimam, immutatur, quam Heine poëta tanto in pretio habuit. Summa cantiunculae haec est:

Tannhäuser, eques strenuissimus, virtutis suae, ut erat tunc temporis mos, discrimina tentans, Veneris in montem ascendit; ubi loci voluptatibus captus, Deae in aula per annum moratur, usquedum conscientiae angoribus expunctus, deam, etsi aegre ferentem, consalutat, et nunquam redditurus, Romam migrat, ut veniam erroris a Pontifice impetrat. Sed Pontifex (ita fabulatur historia) nimis severus supplicanti veniam denegat, virgamque suam in terram figens haec obiurgat: « Ita tu vales ad veniam lucrandam peccatorum, uti siccus hic ramus ad germinandos flores! » Tunc ille desperatione victus ad antiquum montem rediit. Sed tres post dies virescit ecce inopinato virga, tuncque Pontifex circum undique mittit qui equitem querant et ad se reducant, quem frusta tamen illi querunt. Documentum fabulae extremum hoc est, nullum adeo grave peccatum haberi, quod poenitenti Deus non indulget.

Ethnica haec, ut patet, suis fictionibus fabula; at simul ex medulla Christianae doctrinae deducta. Nam si per partes argumentum poëmatis expendimus, ipsam fabulae historiam satis communem de mortali viro narrare eventum comperimus, quibus et graeca simul, et latina poëmata redundant. Documentum vero totius rei devenia cuiusvis perquam gravissimi sceleris poenitenti animo concessa a Deo, catholicum prorsus est. Nomen contra equitis locaque, quae hic ingreditur, Germanica voce insonant. Atqui Tannhäuser vir quidam *παψφός* saeculo XIII re vera vixit, sed eius cantiunculae, abnormi atque luctuoso stilo redactae, cum gestis enarratis prorsus pugnant. Verum quum certam car-

minis mensuram certumque pedem hic can- tor primus versibus aptasset, quumque eius ad normam inveniantur exarata omnia, quae antiquissima habentur de Tannhäuseri equite carmina, deducendum est forsan in his rationem reperiri, qua nomen poëtae ipsam in fabulam invectum inveniamus.

Ecquis vero eques, aut quo ex loco deducta primum historia?

Italica fabula est, eaque Germanico poëmate longe antiquior, quae persimilem omnino eventum de milite quodam recinit, *Guerrino Meschino* nomine notissimo. Hic tamen non in Veneris iuga, sed in Sibyllae cuiusdam ascendit; his obiter commutatis, eadem ad unguem de nostro ac de Germanico equite historia docet: montem vol- ptatum concendit et ipse, angoribus animi victus linquit, Romam venit, sed repulsus rediit ad peccatum.

Vicissim autem fons prima totius rei atque abditum prorsus argumentum, e celticis, uti diximus, finibus repetendum, unde in Insubriam usque, Britanni Oceani nordico ex littore, in vectum. Haec innuit plane Gastonius Paris, qui exeunte superiore saeculo rem fusius pertractavit: num vero eius sententia, tot tantisque vetustatis nebulis circum fundentibus, concludenter probari valeat, nec ipse fortasse assuererit. Indubium unum id manet, Tannhäuseri equitis fabulam Germanos suam fecisse caramque ita habuisse, ut suo tempore eam versibus Heine ipse vestierit et Wagnerius elegerit, ut suavissimis concentibus ditaret, et immortale equiti nomen, musices prodigio, compararet.

I. ANTONELLI.

Vicinum pecus grandius ubet habet.

OVIDIUS.

*Non minor est virtus, quam querere, parta
[tueri:
Casus inest illuc: hic erit artis opus.*

OVIDIUS.

ANNALES

Europaeum discrimen

Post Belgici exercitus deditioem, die xxx mens. Maii, prouti diximus, factam, bellum productum est a Germanis contra Anglos et Gallos iam nunc circumventos. Ad septem Valentinianae (*Valenciennes*) urbis triones amplum munitorum locorum spatium diruitur, Scaldis fluminis canalis superatur, rapidoque in Flandria orientali processu Brugae, Dismuiden ad Isarae fluminis ripas, proindeque Insulae invaduntur, ac Dunikerkae (*Dunkerque*) Ostendaeque portus oppugnantur, ut Anglicae prohibeantur naves, quarum plures in mare demerguntur, quominus reliquias Anglicarum copiarum in patrias reducant. Dunikerka subacta, ora omnis Belgica atque Gallica Germanorum fit, qui in Gallos saeviunt, quorum arces aliam post aliam expugnant. Proelium atrocissimum per Summam et Oesiam (*Oise*) flumina committitur usque ad inferiorem Sequanae cursum, qui pluribus in locis transitur.

Interim novus intercidit eventus: die enim x mens. Iunii, Romae, Musolinius, Italicarum rerum dux, suae civitati per orationem a Venetiarum, quod vocatur, palatio habitam, confertissimae hominum multitudini nunciat, Angliae et Galliae consociatis nationibus et ab Italia indictum eadem die fuisse bellum. — « Nos (inquit) arma destringimus, ut post quaestionem finium continentis terrae nostrae iam diremptam, maritimorum quoque finium quaestionem solvamus. Nos vincula perfringere volumus, quibus tum de re territorii tum militari in mari quod nostrum est opprimimus: populus enim quadringenties quinquagies centenis millibus civium constans, vere non est liber, nisi liberum ad oceanum habeat accessum ». Et postquam asseveravit novam hanc esse vicem luctae a renovatis fascibus indictae pro egenis nationibus in

civitates perdivites, — « sollemniter affirmo — addidit — Italiae mentem minime esse alios populos in conflictum trahendi, sibi terrae marive finitos: Helvetia, Iugoslavia, Graecia, Turcae, Aegyptus documentum ex meis hisce verbis sibi capiant; eorum sit, ut eadem rigide aut minus confirmentur ».

Insequenti die per Alpes Itali Gallicum territorium invadunt, dum Germani prope Lutetiam Parisiorum perveniunt, quae, ne certae eversionis damna patiatur, iis aperit portas; proinde hinc per Divionem, Baforiam (*Belfort*), Stratisburgium, et praeter Burgundiam Lugdunum, ad Gratianopolim et Camberiacum progrediuntur; inde per Aurelianum ad Helvetiae fines perveniunt. Rebus sic stantibus Gallicorum administrorum supremum consilium, praeside Reynaud, a munere sese abdicat; novo praeficitur senex ille, prudens ac strenuus Pé-tain « mareschallus », cui tamen nihil aliud summo cum moerore, Viroduno (*Verdun*) arce quoque expugnata, reliquum videtur quam inducias ab hoste quaerere. Hitlerus sese concessurum respondit, dummodo et ab Italia petitae dataeque fuerint; quod reapse accidit. Itaque in Gallia die xxv huius mens. Iunii bellare destitut.

Interea Germani in Norvegia a Trondheim impulsum ad septem triones egerant hostium renis propulsantes. Ex Narwick regione, quam attigerant, consociatae acies recedunt, ita ut civile praesidium arma cedere cogatur. Germani in eorum locum succedunt, atque in adverso maris litore, nempe in freto Britannico, insulas quoque Sarniam (*Guernesey*) et Caesaream (*Jersey*) suas faciunt.

Neque ea de cruciabili hoc mense satis: die enim xv Hispani Tingim (*Tangeri*) urbem in Mauritania militibus suis occupant, edicentes id tantum se facere ut neutrius partis studium ibidem tutarentur: occupationem igitur pro tempore futuram iuraque civitatum illic negotia habentium servatum

iri. Ex adverso Russi Lithaviam (*Lithuaniam*) incusantes quod initas pactiones mutui auxilii violasset, praesertim quia militare foedus cum Estonia atque Livonia (*Lettonia*) feriisset, eius fines eadem die praetergrediuntur, Vilna atque Kauna (*Kaunas*) urbibus potiuntur, dum simul copias suas in Estonia corroborant, eas quoque in imperatoria civitatis loca mittentes. Die autem xxvi a Rumenia infra diem Besserabiae restitutionem repetunt, adiecta Bucovinae regionis septentrionali parte. Rumenica suprema administratio quaerit, ut locus tempusque statuantur ad conveniendum legatorum utriusque nationis habendum, in quo examen petitionis fiat. Russi respondeat hinc se colligere rogationem suam ratam a Rumenia haberi, ideoque sese subitae locorum occupationi initium daturos, quae reapse die xxviii perfecta est!

Ut finem faciamus, recolimus bellum inter Angliam atque Italiam usque nunc maxime in Cyrenaica geri et in Africa orientali, proeliis terra marique exque aere ultro hinc inde inlatis, quae Italies prospere cesserunt. Defleverunt vero mortem animosi acerrimique illius et ab universo orbe admiratione affecti aërearum copiarum ducis Itali Balbo, die huius Iunii mensis xxviii ad Tobruck urbem occubitam.

POPULICOLA.

LIBRORUM RECENSIO

VALENTINUS CRISI, *De re metrica et prosodiaca D. Magni Ausonii*, pars prior de hexametris et pentametris. (Utini, typis c. n. Idea, 1938, p. 116. Ven. l. 10).

Quamquam iam tot milia versuum ipse quoque conscripsi, fateor tamen me non eum esse qui libenter huiusmodi opera legam et recensem. Nihilominus, ad rem veniamus. Valentinus Crisi quam diligentissime, ut prima facie ipse

libellus ostendit, omnia Ausonii carmina nocturna diurnaque manu versavit eo uno consilio, ut quot genera versuum apud Ausonium invenirentur numeraret, quanta caesuraru varietate inciderentur, quot apocopes essent, quot aphereres, quot quique versus monosyllabis, vel bisyllabis, vel trisyllabis vel... finirentur, et alia huiusmodi. Quarum rerum omnia exempla in hoc libro ordine inspicias, nonnullis tabulis adiectis, quibus certa variorum versuum cum pro unoquoque carmine cum in summa, tum in centum ratio patet. Quo brevius quid sentiam proferam, mathematici prorsus librum ante oculos quandoque habere putas, Nihil, vel fere nihil hic legendum. Cuius rei causa tantum, mathematico dignum, laborem nimia infandaque tolerantia Crisius subiit? Praeter enim versuum, qualibet facie consideratorum, rationem, hinc mihi quidem nihil vel pauca colligi posse videntur. Sed alteram partem auctor se conjecturum promittit; huic appendix quoque accedit, qua breviter strictimque, quae ex quaestione colligit, exponet. Haec vero tam longi ingratique laboris pars praecipua fore videtur, optandumque est ut appendix et priorem et alteram partem numero paginarum superet. Ad quaestionem igitur occasione data fortasse redibimus, hac quoque de causa, quod de re prosodiaca hic agendum, ut patet, erat, sed nihil prorsus actum est.

Ios. MOR.

NICOLA PITTA, *I Carmi di Albio Tibullo*, versione metrica. (Casa Ed. Arte della Stampa, Istonio, MCMXXXIX, p. 324).

Nostris quidem temporibus mos, quem nunquam satis laudaveris, invaluit, veterum poëtarum carmina ita in lucem edere, ut altera quaerque pagina ea italicis versibus expressa oculis praebeat. Nicolaus Pitta animi solandi causa, ut ipse fatetur, totum Tibulli corpus horis subsecivis italicice totidem versibus conversum nuper lato pulcroque volumine edidit eodemque nonnullis xilographiis, quae dicuntur, ornato, ut prima ipsa facie ad legendum allicit.

Nunquam totum Tibullum a primo ad postremum versum nullo interfecto tempore legeram. Nunc, huius libri ipsa quodammodo specie allectus, legi, latinos versus cum italicis passim comparans. Qui tam faciles plerumque sunt

christianae conferat institutioni, cum ea dogmata et constitutiones et archaeologiam exhibeat atque illustret. Quae omnia, rotundo ore magnaue animi vi expressa, verborum concinnitate atque elegantia Tullium quandoque redolere videntur.

Paternum stilum Asteriam sumpsisse dicas in hac brevi epistula conscribenda, qua inquirit quibus de causis in tantis rerum progressionibus atque incrementis, haud iisdem litterae humanitasque luminibus ornentur. Quae multae, ut patet, esse debent. «Sed — ut ipsius Asteriae verbis utar — maius incommodum in illas provenisse ex hac tanta saeculi ad materiam proclivitate tantoque, quo potissimum nunc animi occupantur, studio pecuniae adaugendis vitae commodis congerendae». Quod mihi quidem nemo improbare posse videtur. Nam, cum multi nihil magni aestiment nisi quod concretum corporeumque est, necessitate quadam adducti, literas, quas nequeunt sensu gustare, despiciunt.

Haec aliaque tam bene, tam polite tamque latine Asteria brevissime enucleat, ut toto corde ei gratuler eamque horter ut, vestigia patris secura, alia sui ingenii specimina praebeat.

Ios. MOR.

ADOLFO TERRALBI (ALFREDO BARTOLI), *De Agro Pontino* (Florentiae ex typ. Stella MCMXL, p. 8).

Numinibus tandem faventibus, post tot solutae orationis certamina ab Instituto romanis studiis provehendis Romae indicta, nunc primum qui victor diceretur inventus est, vel potius inventi sunt, quem Alfridus Bartoli ex aequo una cum altero propositum praemium re-tulerit. Alfridus Bartoli non is quidem est, qui *Almae Romae* lectoribus cum laude exhibendus sit, quippe qui eximiam eius in carminibus condendis peritiam quadraginta iam annos perbene noverint. Quis immo, qui latine sapiat, eius carmina, pascolianam musam redolentia, ignorat? Ea ac tot iam sunt quae aliquando uno volumine omnia collecta velis, quo melius et numerorum suavitas et versuum elegancia et sententiarum dignitas cunctis latinitatem amantibus appareant ac niteant. Quandonam hoc fiet?

Per brevis haec opella, nuperrime typis impressa, acroasis quedam est, quam auctor suis discipulis habuisse fingit, «ut aliquid ex iis, quae memoria nostra sunt consecuta, exprome-

ret». Res, in universum spectanti, huiusmodi sunt, quae in cuiuslibet mentem sua sponte venire potuerint. Verum ipsa scriptio brevitate nonne iubebatur summa tantum fastigia rerum sequi? Hic Fascium Regimen laudibus extollitur, quo et omnium voluntatum, Beniti Mus-solinii ductu, una prorsus voluntas facta est, et, foedere tandem cum Pontifice icto, ingravescens ulcus sanatum est, et maxima denique cura exercitui armis instruendo multisque navibus caeli marisque fabricandis habita est.

Fascium Regimen vero hanc praecipuam laudem sibi in aeternum Bartolio adeptum videtur, quod, pontini aequoris paludibus, quas frusta alii tot saecula siccari conati erant, vix decem annorum spatio siccatis, tantum agrorum lignonibus exercendum agricolis, pacis militibus, aperuit. Nunc «obductas limo paludes, spatia paene nuda gignentium, casulas hic illic dissitas, incolis, iisque febri plerumque laborantibus, raras, multiplex seges exceptit, ornarunt cuiusque generis arbores, aedes vici oppidula suffecerunt, ad omnes habitantium usus accommodata, neque alacritas et sciendi cupidio ludos desiderat; sunt, ubi pie Deus invocetur, templa; ubi animi se relaxent, palestrae; ubi corpora sanentur valitudinaria; cuncta denique ad victimum cultumque, ut par est, *lictoriae*, videlicet romanae spectantia humanitatis».

En aliquod solutae Bartoli orationis exemplum habes. Ille tamen hic quoque poetica sui ingenii vim feliciter ostendit, quum quinque novarum urbium in agro pontino conditarum nomina bona omnia ex ipsa verborum significazione interpretetur.

Tanta licet dicendi brevitate, quam scriptio-nis genus postulabat, usus, suam latinae linguae peritiam in omnibus fere partibus demonstrare velle auctor videtur, tanta elegantia, tanta verborum gravitate ac concinnitate, tanta denique, etsi lacertis ac sanguine parum hic abundet, coloris suavitate, quidquid scribit, exornat. Vere eum latinitatis magistrum et fuisse et esse dicas.

Ios. MOR.

IMPRIMATUR:

† Fr. ALPONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.





VARIA

Si qui cives summos magistratus geserunt, eos non debere postmodum aspernari minores.¹

Marco Fabio et C. Manlio consulibus praecaram de Veientibus Hetruscisque victoriā populus Romanus obtinuit; sed in eo conflictu occubuit Q. Fabius Marci frater, qui superiore anno consul fuerat. Quo loco sese offert praecara occasio admiri singularem Romanae Reipublicae formam, statutaque ad imperium augendum quam maxime accommodata; a quorum institutis, quo magis recedunt Respublicae, quae nostro tempore florent, tanto magis eas aberrare certum est. Romani cives certe etsi gloriae quam maxime avidi es- sent, non dedignabantur tamen quandoque iis in exercitu parere, quibus ante ipsi imperassent, et in eo exercitu quandoque stipendia mereri, cuius ante duces fuissent. Huic rei adversantur nostro tempore homines usque adeo ut Venetis etiam publicis legibus quis recusare posset munus aliquod in exercitu, si prius cum maiori dignitatis gradu militaverit. Quae res etsi ad privatorum hominum dignitatem tuendam facere videatur, Reipublicae tamen inutilis est. Primum enim ei qui maius aliquod munus administravit, facilius audebit Respublica minus demandare, quam ei maius committere, qui non nisi in minoribus se exercuerit. Nam iuveni ac novo homini non tuto committuntur res tanti momenti, nisi stipati fuerint viris virtute conspicuis, quorum consilio eas administrare possint. Quod si apud Romam idem quod Venetis et in aliis Rebuspublicis observatum fuisset, nec quicquam qui semel consul fuisset, aliter quam ut consul militare voluisse, multa iis accidissent, qui-

bus libertas periclitari potuisset. Praeterea si novis hominibus tantum imperium solis fuisset demandatum, nec ii secum habuis- sent qui semel aliis muneribus praefu- sent, quos observare deceret, multa in Rei- publicae perniciem perpetrare facile po- tuissent.

Pro iudicibus mensarum elegantibus

ESCARUM ORDO:

Furfuricula in avellanarum formam red- acta, butyro condita.

Obsonia varie fricta Romanorum more.

Botellus ex siliquis phaselorum tenellis.

Coturnices assae, cum salgamis.

Flos lactis gelu concretus.

Locosa

Tuccii Mater dulcia mella mensae ap- ponit; quorum magnam partem Tuccius in patinam suam effundit. Improbat Mater:

— Heus tu, gumia! Ceteris quoque con- vivis dulcia mella placent.

TUCCIU: — Haud profecto quantum mihi!

Tuccii meditatio ante pullum ex ovo ortum:

— Intelligere nunquam valui quomodo putamen sine ullo foramine pullus ingredi possit!

Aenigmata

I

Deliacus sum mons, in quo Latona gemellos est enixa, Iovis semine progenitos.

Vocali sedem concedat consona! Praesto est scyphus: infundas, copa benigna, merum.

II

Regnator Thebanorum pia corda gerentem inclusi tenebris carceris Antigonē.

Littera trina praeit? Tibi vates Teius adstat, cui cantabantur vina, dapes et amor.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo pro- posita his respondent: 1) *Delos-Melos*; 2) *Ara*.

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

Ann. XXVII Romae, mense Augusto et Septembri MCMXL Fasc. VIII-IX

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXL est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

Ethnicorum Christianorumque scriptorum quaे orationis elegancia et perspicuitas fuerint

Locutio a grammaticis syntactica appella- lata, qua propositioni principi secundariae ita nectuntur, ut tota periodus velut lapis numidicus undequaque teres atque rotunda se ostendat, ab ethnicis scriptoribus in de- liciis habita est: Christiani vero scriptores *paratactica* usi sunt locutione, qua tota ora- tio ex periodis constat non per subordina- tiones coniunctis; cuius rei causa legentis oculus minus principem propositionem aspicit, sed plane ac perspicue scribentis cogitata cernit atque intelligit. Peculiariter modo hac in re ethnicī a Christianis scri- toribus differunt.

Illi tamen qui affirmant ethnicorum scri- pta potiora esseducenda quam Christianorum, ita iudicant quia opinantur ethnicos apprime in philosophicis disceptationibus excultos maioremque scribendi habentes commoditatem flexibili ac mirabili sermone usos, eo perspicuitatis devenisse ut:

1° in eligendis vocabulis concretam et non abstractam loquendi formam securi- sint;

2° in cogitatis flectendis atque colli- gendis eos dicendi modos eligerent, qui- bus ea quae sequerentur, arctius cum re- bus primitus expositis congruerent;

3° in colligandis sententiis syntactica locutione usi, clarius ac pressius cogitata exposuerint.

Quot assertiones, tot errores! Cur enim Cicero, Livius, Sallustius, Caesar, Cornelius latino sermone melius quam Patres usi sunt? Quoniam altius quam Patres phi- losophiae medullis enutriti fuerunt; non equidem eodem modo quo inopes illi qui Augustinus, Hieronymus, Bernardus, Thomas appellantur! Quod dictum risum mo- veret non potius lacrymas, si ex ore cuius- dam sacerdotis non cecidisset.¹

Adfirmant nonnulli veteres ethnicos scri- ptores maiora quam Christianos otia ha- buisse. Negare nolle, sed quaererem quo modo otio usi sint. Novimus contra, Cice- ronem atque Caesarem, exempli gratia, unam inter et alteram fori animadversiones vel pugnas scripsisse. Cicero² tradidit quosdam philosophicos libros sibi non ita magno labore stetisse. Caesar tam parvo otio usus est, ut eius commentarii quasi breviarum sub tentoriis scriptum ad suos populares, habendi sint.³ Quis nobis per- suaserit, Lalages, Lesbiasque plus tem- poris Horatio, Ovidio, Catullo, Tibullo, Propertio reliquise, quam preces atque di-

¹ Des classiques comparés par le R. P. VEREST S. I. (Paris, Vie et Amat, Rue Cassette 11).

² Att., XII, 52, 2.

³ GOUMY, *Les latins*, p. 147

sciplinam corporis Prudentio, Avito, Hieronymo reliquisque Christianis scriptoribus?

Sed quis neget maiorem Christianorum scriptorum partem latinum penitus plene que cognitum habuisse? Si vero ii ab ethnicis aliquando discesserunt, huius rei causa fuit necessitas enucleate loquendi doctrinasque tanta perspicuitate tradendi, ut hypotacticus loquendi modus syntacticus anteponendus esset. Ea ipsa virtus qua latinum sermonem christianae doctrinae docilem effecerunt, vitio adscribitur!

Ceterum latini ethnici sermonis laus haec, non est exaggeranda. Doctum virum audiamus: *La langue latine offrait au christianisme un instrument merveilleux de législation et de gouvernement pour l'administration d'une grande société; mais il fallait que la langue de l'action devînt celle de la spéculation; il fallait assouplir, populariser cette langue raide et savante, lui donner les qualités qui lui manquaient pour satisfaire la raison par toute la régularité et l'exacitude de la terminologie grecque et pour saisir l'imagination par toute la splendeur du symbolisme oriental.*⁴

Pauca ad haec.

Notum est enim latinam linguam neque aoristo neque optativo gaudere, quibus suppleendum est vel perfecto vel coniunctivo, vel alio modo, quem opportunitas suggestat. Sed id nil prorsus ad perspicuitatem sermonis utile est; unde evenit ut Christiani scriptores lento gradu iis usi sint temporibus in coniugando verbo, quae italicum sermonem tantis muneribus ditaverunt. Eadem de gallico, de hispano sermone dixeris.

Sed ea tria capita sunt perpendenda de quibus supra scripsimus.

I. In eligendis vocabulis ethnici scriptores, concretam abstractae loquendi formae praepontentes, maiorem quam christiani perspicuitatem adepti sunt.

⁴ OZANAM, *Civilis.*, au v^e S., 15 lec. — De hac re confer etiam: REINACH, *Gramm. lat.*, 336-338.

Utique, veteriores scriptores severi fuerunt, sed ecclesiastici recentiores non minus, ipsi quorum dicta Deo praestanda erant. Sed si Caesar proscribebat, Horatius nova verba admittebat easque leges statuebat quae ecclesiasticis scriptoribus iter planum bonique iuris facerent. Audiamus dicendi magistrum:

... si forte necesse est indiciis monstrare recentibus

Abdita rerum, fingere cintutis non exaudita Cethegi

*Continget: dabitur licentia sumpta pudenter.*⁵

Christi Evangelium abditum fuit ethnicis scriptoribus necne? Num *cintuti Cethegi* aliquid de Christo audiverant? Ergo ecclesiastici scriptores iis novis vocabulis usi sunt, quae ipsa nova materies induxerat.

Neque in eligendis vocabulis latinus sermo ea tanta facultate gavisus est, quae plerumque affirmatur. Quintilianus ipse queritur tam pauca esse in latino sermone propria vocabula, ut saepius ad verba translati atque circumlocutiones configiendum sit.⁶

Tantum legamus illud Augustini opus *De gratia*, seu Adami a Sancto Victore scripta, seu illum Aquinatis hymnum *Lauda Sion Salvatorem*, seu *Victimae paschali*, perspicuumque erit quid de Ciceronis, quid de Horatii subtili in scribendo fide dicendum sit. Si ab Horatio canendum fuisset quod Aquinas cecinit:

*Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui,*

ut divinam maiestatem Sacramenti promeret, ut fidem innovatam attolleret, quid melius, quid strictius, quid clarius ipse Horatius cecinisset?

Quum de concretis vocabulis agitur, quae ab ethnicis potiora habita sunt, dum

⁵ *De Art. Poët.*, 48.

⁶ QUINTILIANUS, *De instit.*, XII, 10.

contra Christiani scriptores abstractis sine cunctatione utuntur, ratio perspicua quae datur haec est: Romanos scriptores minus in contemplatione rerum versatos fuisse, quam in iis quae experimentis innotescunt. A summo magistro Gandino ad nos usque ita in scholis traditum est, et utique tradetur. Sed vera causa qua ethnici scriptores hac, ita dicitur, virtute fulserunt in eo est ponenda, quod ipsi minus cogitatione quam rebus movebantur, dum graeci scriptores plus cogitatione quam rebus emoti, Christianis exemplum obtulerunt, quo non exaudita Cethegis latino sermone significarent.

Saepius audivimus necesse esse ad amphibologiam vitandam *concreto* stylo uti, potius quam abstracto. Sed aio contra: Cathechismi ille libellus, quo pueri Christianam Fidem ediscunt, quid ambiguus habet? Nonne ibi clara, evidentia sunt omnia, quum his vocabulis utitur: *Trinitate, superbia, contritione?* Ego utique affirmarem quod locutio: *ingratus animus* significationem praefert minus claram quam *ingratitudo*, nam ingratus animus, cor ingratum significare potest, eodemque tempore ingratis cordis vitium, dum locutio *ingratitudo* in universum et unice vitium significat, id est generale, et non factum particulare.

II. Ethnici latini scriptores in cogitatis reflectendis atque colligendis eos dicendi modos elegerunt, quibus ea quae sequerentur arctius cum principiis congruere possent.

Ad aliquot exempla configiendum est, quibus facilius argumenta contraria confirmabuntur.

a) *Amor Petri*, exempli gratia, duplēcim significationem habet: subiectivam, qua Petri amor exprimitur: obiectivam, qua amor in Petrum. Qui legit intelligat... Christiani scriptores, contra, in prima acceptione habent locutionem *amor Petri*, in secunda vero *amor erga Petrum*. Illam explosam perspicuitatem ubi reperies?

b) Vergilius cecinit: *Sunt lacrymae*

*rerum.*⁷ Interpretibus omnibus humanistis aurem praebentes, audivimus emistichium illud significasse: *Res ipsae anima carentes suas habent lacrymas*. Reapse si delicatum sentiendi Vergili animum ante oculos habuerimus, hanc explanationem rectam atque ingenuam esse concedemus. Sed bis millibus peractis annis, nam duo millia annorum fluxerunt, ex quo tempore humanistae *lacrymas rerum* hinc inde respicientes de iisdem sententiam restituerunt, doctus quidam vir locutionem illam interpretatus est: *Rerum tacitos fletus*. Heus! quod Iosephus Prudhomme nunquam cessavit dicere: *calamitates suas lacrymas habent*, Christiani scriptores dixissent: *Sunt lacrymae de rebus*, equidem minus compte, minus belle, sed longe clarius, ita humanistae explanatores per bis millia annorum, cerebrum in hac interpretatione non dissolvens.

c) Locutio communis humanistarum ac passim in usum deducta ea est, quae *ablatus absolutus* vocatur, cuiusvis coenae condimentum piperatum! *Alexandro mortuo significare potest: quum Alexander mortuus est; quamvis Alexander mortuus es*; *si Alexander moreretur*. Quae omnes significaciones, nisi ab oculo sollerti atque exercitato percipi non possunt, Christiani scriptores non repudiantes ablativum absolutum, quando evidentia atque perspicuitas sermonis id requisivit, coniunctionibus usi sunt: *postquam, quum, quamvis, si*; minus compte, sed clarius.

SALOMON REINACH⁸ pugnam explanat, quae plerumque fit in usu pronominis reflectivi: *La plupart du temps, dans les phrases qui donnent lieu à un conflit de genre, on peut employer, soit le réfléchi, soit le pronom « is » suivant le point de vue où l'on veut se placer, et les grammairies ont souvent eu le tort de vouloir poser pour ces cas des règles trop absolues.*

⁷ Aen., I, 463.

⁸ Gramm. lat., p. 87.

Hic agitur de pronomine reflectivo in obliqua oratione, quae tam cara est ethnici scriptoribus, in qua usus pronominis *sui*, *sibi* et subiunctivi ita fluitat, ut, simplicioribus quibusdam casibus exceptis, subiunctivi seu indicativi usum statuere; res equidem difficilis. Patres Christiani ut haec effugerent scopula, recta loquendi ratione plerumque usi sunt. Nec tacendum quidem est de illis amphiboliis: *aio te Aeacida Romanos vincere posse.*⁹

III. In coniungendis sententiis, syntactica locutione usi, ethnici scriptores clarius ac pressius cogitata exposuerunt.

Nemo dicet: periodum ex historicis seu ex oratoribus romanis depromptam ac synthetice confectam quandam pictam esse tabulam, ubi imagines atque cogitata tali numero ac concinna oratione disponuntur, ut legenti nil suavius esse possit. Sed non erit quidem inficiandum, artificium hoc satietatem inducturum, praesertim quum de rebus sacris agatur. Exemplum ex illa bulla *Ineffabilis* sumendum est, qua doctus vir Passaglia S. I. ciceroniano ore laudes Virginis exornat, unde poëticum illud officium de Immaculata Conceptione aliquid hibridicum esse videtur. Ambrosius stylo illo laudes illas non cecinisset. Paratactico stilo usi, Patres Ecclesiastici melius ac suavius divinas laudes concinuerunt. Testem audiamus doctissimum virum Freppel: *Je ne voudrai point passer pour un panégyriste à outrance du style des Pères. Assurément nous sommes loin de la période ample et majestueuse de Cicéron, mais il y a dans les écrits des Pères de l'Eglise latine au quatrième siècle quelque chose de moins vague, de moins indécis, de plus vif, de plus net, de plus vigoureux, que je n'hésite pas un instant d'attribuer aux habitudes de la pensée chrétienne. L'idée y est moins enveloppée, elle y paraît plus à jour.*¹⁰

⁹ ENNIUS in CICERONE, *De divin.*, II, 56.

¹⁰ FREPPEL, *Bossuet et l'éloquence sacrée...*, II, p. 194.

Postremo, ut exemplo quodam rem nostram confirmemus, bina loca componenda censuimus ex Vergilio atque ex Meropio Paulino, nolensi Episcopo, deprompta, quibus luscinia canitur:

*Qualis populea moerens Philomela sub umbra
Amissos queritur foetus, quos durus arator
Observans nido implumes detraxit; at illa
Flet nocte, ramoque sedens miserabile carmen
Integrat, et moestis late loca questibus implet.*

Quo carmine Vergilius Orphei gemitum, post perditam Euridicem, imitatur.

Meropius Paulinus lusciniae garritum imitatur, pinnas unius coloris modosque varios commemorat quibus aures suaviter decipit audientium:

*... Viridi sub fronde latens solet avia rura
Multimodis mulcere modis linguamque per unam
Fundere non unas mutato carmine, voces,
Unicolor plumis ales, sed picta loquellis:
Nunc teretes rotat illa modos, nunc sibila longis
Dicit acuta sonis, rursum quasi flebile carmen
Inchoat et subito praecidens fine querelam
Adtonitas rupto modulamine decipit aures.¹¹*

Has tabulas comparando quam venustiorum dicemus? Uterque venusta, uterque nobilis, uterque perspicua; neque Vergilio neque Paulino succensem, neque alterum poëtam exaltando alterum deiciam. Vergili carmen notum est et a pueris decantatum; cur non Paulini carmen? Humanistis grates habendae sunt, qui ante oculos nil ponendum censuerunt quod ex aureo augusto fonte non manaret, reliqua omnia scruta retinentes!

Denique italicum nostrum sermonem non ex Ciceronis ore patres nostri demiserunt, sed ex Ecclesiae ore tantum, quae hymnos non Horatianos, lectiones non Ciceronianas Christi fidelibus explanabat. Quae ergo fuit humanistarum culpa, qui a nostris originibus nos amoverunt, facile atque aperte

¹¹ XXIII, 29.

iudicari potest. Omnes viri docti conari debent ut humanistarum errori aduersentur, ut cum ethnicis scriptoribus, nostri in scholis explanentur, ut cultus ethnicorum, qui tamquam numina adorantur, tandem deleatur.

Vidimus enim quae ethnicorum, quae Christianorum fuerit elegantia, quae fuerit perspicuitas orationis; nostros legentes labia nostra non polluemus!

ALEXANDER AURELI.

DE JOSEPHO BALESTRI COPTOLOGO ATQUE BIBLISTA CLARISSIMO

Num Iosephi Balestri meritis obstare taciturnitas perseverabit, quaeque is, trium et septuaginta annorum spatio, de orientalibus linguis de interioreque Sacrorum librorum sensu declarando elucubratus est interibunt? Quod Deus averruncet! Itaque post mortem, multis decoratam lacrimis, eius spiritus vitaeque vices redeant coptologo perquam acuto subtilique Divinarum Litterarum interpreti, atque, quod bene fecerit, mercedem aliquando referat!

Is igitur Soxetae, apud vicum a Sancto Quirico Verniensi nomen ducentem, postr. kal. an. MDCCCLXVI natus, cum admodum praetextatus adhuc esset, amplissimum Augustinianum Sodalitium init, atque xi kal. Iun. an. MDCCCLXXXI talari Sodalicii tunica indutus, duos post annos, apud Sanctae Mariae Collegium, quo, ut litterarum studiis excolendis operam navaret, missus erat, se Deo voti sponsione obligavit, ibique Sepiaccio et Ciasca magistris, utroque patre purpurato, naviter usus est. Cum vero legitimum tempus venit, annus videbat MDCCCLXXXIX, sacerdos est creatus, et subinde non modo orientalium linguarum Divinarumque Litterarum praceptoris muneribus mirum in modum functus est, sed

etiam, Leonis, summi Pontificis huius nominis decimi tertii, arcessitu, aliis cum viris doctissimis, Libris Sacris omni ex parte perficiundis studuit; eoque in negotio explendo quanta esset doctrina praeditus ostendit. At, post aliquod temporis spatium, huiusmodi virium defectione laboravit ut prius conventibus identidem interesset, posterius vero se munere abdicaverit atque, valetudinis instaurandae gratia, Roma discesserit in Etruriamque venerit. Ibi autem, nonnullis maximi momenti officiis, videlicet rectoris provincialis et vicarii generalis functus, usque ad extremos vitae dies commoratus est, atque III kal. Mai. an. MCMXXXIX, pie sancteque, sicut vixerat, diem obiit supremum.

Superius lectores monitos esse voluimus Iosephum Balestrum Ciasca, coptologo clarissimo, usum esse magistro; neque id frustra; nam discipulus inchoatum magistri opus, cui *Sacrorum Bibliorum fragmenta copto-sahidica* inscriptio, absolvit et opus suum sic inscripsit: *Sacrorum Bibliorum fragmenta copto-sahidica Musaei Borgiani*. Quod cum doctissimus quisque vir tum commentariorum Gallicorum Germanicorumque moderatores laudibus cumulaverunt.¹ Complura alia quoque opera de orientalibus Martyribus agentia, exaravit; at maximum praestantissimumque eius opus anno MCMXXXII in volgus prodiit sic inscriptum: *Biblicae Introductionis Generalis Elementa*.

Quae cum ita sint, laudes Iosepho Balestro merito sunt tribuendae; et post fata resurgat vir ille doctissimus humillimusque, cui nihil fuit antiquius quam veri investigatio. Eius autem fama velut arbor occulto crescat aevo; etenim *Virtus, reclaudens immeritis mori caelum, negata temptat iter via*.

Prof. IOANNES BAPT. BELLISSIMA.

¹ Cfr. sis, *Revue Biblique et Orientalische Literaturzeitung*.

VITA

TRITICI SEMENTIS

*Glebis, aurea, subnigris
condi, grana, manu tendite villici,
sulco cultor in humido
cunas, non tumulum, providus apparat.*

*Molli vos quasi culcita,
fecunda sub humo sparsa iacebitis,
limi tum leve stragulum
vos bruma et nocuo proteget aëre.*

*Somno nunc requiescite,
albescente solo dein nive primula,
experrecta, virentia
prodetis, Borea flante, cacumina;
terram et frigore squalidam
vitam perpetuis usque recursibus
apparere docebitis,
aspectu parilem semper et alteram.*

*Omnino nihil interit!
Caesus flos iterum vomere pullulat,
auroraque renascitur
quaes lux occiduo vespere deficit.*

*Gleba, grana minutula,
materna propere pergitte conseri,
vestro occumbere nescia
prorsus, vita fremit condita corculo;
quaes spirantibus, affatim
prodibit, zephyris, caespite ab herbido,
rursum et prata virentibus
pinget vere novo laeta tapetibus.*

*Semen ni putre concidit
in terram, modico tempore deficit;
culmo pulcrius exsilit,
marcescens, iterum divite foetibus.*

*Glumis abdita candidis,
aestiva calamis tosta Canicula
vitam lene crepantibus
dicetis tremulo momine perpetem.*

*Spicas versa at in aridas,
confestim rutila falce metemini;
fatum parcite conqueri,
lucis vos acies desecat osculo.*

*Prorsus non moriemini,
ingens vos etiam cum mola conteret,
cum cribrata nivalibus
spargetis magidis concava floribus;
nec cum pinsita tunsaque
pistoris manibus massa tumebitis
furno sectaque fervido
in panes teretes igne coquemini.*

*Cuvis pronuba funeri
natura usque novis partibus assidet,
formis nobilioribus
cessans in speciem vita novabitur.*

*Vestro munere vescitur
quovis orbis homo littore diditus,
instauratur et integra
gyris deficiens vita perennibus.*


*Quin immo similagine
ex vestra nivea conficit azymon
verbis mysta potentibus
et Christum superis sedibus advocat.*

*O res mira, ad originem
late sparsa suam vita revertitur,
fit vitaleque pabulum
panis sub specie Christus adorei.*

*VERBUM quo super aethera,
quo tellure vigent cuncta et in aequore,
diae nos sibi surculos
vitae participes copulat insitos.*

*Vitam, grana minutula,
undanti calamo dicite perpetem;
diam occumbere nesciam
vitam, versa sacram dicite in Hostiam!*

HIRPINUS.

De Christianorum martyrum suppliciis¹

Damnatio ad metalla crudelissima erat, praeter mortem. Hoc ipsum Romanum ius declarat: « Capitalium poenarum isti gradus sunt: summum supplicium...; deinde proxima morti poena, metalli coercitio ». ² Damnati enim omni civili iure destituebantur, ac, post fustigationem, ³ ad ingratissum applicabantur opus metalla vel marmora effodiendi. ⁴ Ne autem fugerent, catenae pedibus dabantur; unde illa Cypriani verba: « O pedes feliciter vincit, qui non a falso, sed a Domino resolvuntur! O pedes in saeculo ad praesens ligati, ut sint semper apud Dominum liberi! » Neque aetati, neque sexui erat consideratio: « Cuius numero nec virgines desunt; ... in pueris quoque virtus maior aetate; ... ut martyrii vestri beatum gregem et sexus et aetas omnis ornaret ». ⁵ Quod autem genus sit poenae, haec eiusdem Cypriani verba ⁶ demonstrant: « Non foveat in metallis lecto et cultrici corpus, ... humi iacent fessa laboribus viscera; ... squallent sine balneis membra situ et sorde deformia..., panis illis exiguis, ... vestis algentibus deest.... Semitoni capitis capillus horrescit ». ⁷

Orribile quidem!

¹ Cfr. fasc. sup.

² CALLISTRATUS, *De cognitionibus*, lib. VI, in *Digest. Iustin.* XLVIII, 19. — Crux damnatis inurebatur, ut historice liquido constat. (Cfr. *Cod. Theod.*, IX, 40, 2; PONTIUS, *Vit. Cyprian.*, § VII).

³ Quod fuerint prius fustigati etiam ad metallum damnati, non secus atque extrellum essent subituri supplicium, iuxta Romanum ius, ex his Cypriani verbis indubium appetat: « Fustibus caesi prius graviter et afflicti, per eiusmodi poenas initiantis confessionis vestrae gloriosa primordia »; quae verba, una cum stipe, in metallum *Signense* damnatis Cyprianus misserat.

⁴ Erat autem differentia inter damnatos in metallum et damnatos in opus metalli, non quidem in opere, sed in catenis, quae pro prioribus multo quam pro posterioribus graviores erant. (Cfr. ULPIANUS, in *Digest. Iustin.*, leg. 8, § 6).

⁵ CYPRIAN., *Epist. 54*, § 2.

⁶ Ibidem.

⁷ EUSEBIUS, *De mart. Palest.*, VII, 3, 4; VIII, 1-3; XIII, 10, 1.

delatum, quumque inspector esset missus, damnati dispersi sunt, alii Cyprum, alii ad Libanum transvecti; senes ad laborem inepti decollati.⁸

* * *

Ad imperii aetatem, uti *vivicomburium*, de quo in superiore numero diximus, pertinet *damnatio ad bestias*. Primum Christianum civemque Romanum an. 177 Lugduni ad bellus expositum fuisse legimus, idque reclamante plebe.⁹

Ex scriptis autem Tertulliani aliorumque scriptorum colligitur, a saeculo secundo sub finem, Christianorum supplicia ad arbitrium magistratum determinari, qui *ius gladii*, meliori quo ipsis videretur modo, exercabant.

Mos bestiis exponendi reos antiquissimus Romae fuit; non ita vero spectacula venationum, quae tamen non raro eodem desinebant modo, morte scilicet venatorum ferarum laniatibus obiectorum. Haec primum anno post Urbem conditam 568, a nativitate autem Christi 168, M. Fulvio Nobiliore auctore, locum habuere. Vocabantur «*munera*», sicuti et ceteri ludi, neque solum ex liberalitate triumphatorum vel reipublicae officialium ad suffragia «*nobilis turbae Quiritium*» captanda, verum etiam in defunctorum honorem donabantur. «*Munus* — ait Tertullianus — dictum est ab officio, quoniam officium etiam muneris nomen est. Officium autem mortuis hoc spectacula facere se veteres arbitrabantur».¹⁰

Corruptis moribus, paullatim etiam interspectacula et munera damnatio ad bestias locum obtinuit, et quidem inter praecipua; nam hoc supplicii genus praebuit ut re vera possent agi tragediae, in quibus rei personati necarentur.

⁸ EUSEB., *De mart. Palest.*, XI, 20-23; XIII, 1-3, 4, 9, 10.

⁹ CALLISTRATUS in *Digest.*, XLVIII, 19, 28; CAIUS. ibid., 29; HER. MODESTINUS, *ibid.*, 31.

¹⁰ TERTULL., *De spectaculis*, c. 12.

Damnatio ad bestias «ultima poena», id est «ultimum supplicium» non fuisse videtur, iuxta illa Romani iuris verba: «Quicumque nummos aureos partim raserint, partim tinxerint vel finxerint, si quidem liberi sunt, ad bestias dari; si servi, summo supplicio affici debent». ¹¹ Locus autem ubi eiusmodi spectacula dabantur amphitheatum est appellatus, quasi duplii theatro constans, proindeque formam circularem exhibens: «Amphitheatum — scripsit Cassiodorus — rotundum est, theatrum vero ex medio amphitheatro est, semicirculi figuram habens». ¹²

Plerumque ad bestias damnatus palo ligabatur in suggesto, ut omnes viderent et melius is a belluis laniari posset. Scimus S. Saturninum «super pulpum fuisse ab urso vexatum»; item Saturum «ad ursum substrictum... in ponte»: ¹³ hunc autem pontem, seu pulpitum, in plurimis antiquissimis cimeliis repraesentatum videmus.

Diximus damnationem ad bestias ultimum non fuisse supplicium; patet enim bellus provocari non raro debuisse ut in reos saevirent; itaque ad Romanos S. Ignatius se, scribebat, sperare fore ut bene dispositae belluae sibimet ipsae occurrerent, et minime parcerent. Quod innotuit, bellus non fuisse famelicas, et ad torquendum vel cruciandum potius quam ad caedem adhibitae.

De S. Marciana haec referuntur: «Multitudo, quae ad spectaculum confluxerat, coepit clamare ut Marciana martyr obiiceretur ad feras. Ligatur ad stipitem devota Christi virgo... Dimissus est leo ferocissimus, qui cum magno impetu veniens erectas manus in puellae pectus, sanctum martyris corpus odoratus, eam ultiro non

¹¹ *Digest.*, lib. XLVIII, tit. X.

¹² Lib. III, epist. 51. — *Theatrum ludis tantum scenicis inserviebat*.

¹³ *Passio S. Perpetuae* a ROBINSON ed. p. 89-90. De S. Blandina etiam legitur: «Blandina vero ad palum suspensa bestiis obiecta est» (RUINART, *Acta sincera*).

contigit». Taurus deinde eam tantum vulneravit; tandem a leopardo occisa est.¹⁴

Id clare probat huius poenae crudelitatem; adhibebantur enim animalia non quidem carnivora, sed quae ira excitata multo crudelius quam ipsi leones ac tigres in damnatos saeviebant, quos, exempli gratia, cornibus impetitos, in altum iaculaabantur. Hoc in Tyri amphitheatro conspectum est, hoc Lugduni de S. Blandina, et Carthagine, ubi, inaudito exemplo, Sanctae Perpetua ac Felicitas vaccae furiosae obiectae sunt. Ne autem cornua animalium damnati declinare possent, aliquando in rete claudebantur; quod bis factum legimus Lugduni et Carthagine de praefatis martyribus.

Sed iam claudamus rivos: sat prata biberunt.

S. S.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

Adiectiva a pronomine neutro pendentia.

Adiectiva quae a pronomine neutro pendent, si sint tertiae declinationis, casu cum eo concordant; si sint secundae, ponuntur in genitivo, nisi regimine gaudeant aut cum adiectivo tertiae declinationis conscientur.

EXEMPLA: Deus bonis omnibus *nihil mali* admiscuit (CIC., *Univ.*, 3) — Exempla imprimis *hoc in se boni* habent: approbant quae praecipiunt (PI., *Paneg.*, 45, 6) — Alexander *nihil* in Darii familiam *hostile* fecit (IUST., XI, 12) — In animis hominum doctissimi illi veteres inesse *quiddam caeleste et divinum* putaverunt (CIC., *Fin.*, 2, 34) — *Quid* habet ista res aut *laetabile* aut *gloriosum?* (CIC.,

¹ Cfr. fasc. sup.

Tusc., I, 21) — Mihi videtur acerba semper et immatura mors eorum qui *immortale aliquid* parant (PI., *Ep.* 5, 5) — Habet *hoc* in se *naturale blanditiae*: etiam cum reiiciuntur, placent (SEN., *Nat.*, 9, 4, Praef) — Vitellius, respectu suarum necessitudinum, *nihil* in Domitianum *atrox* parabat (TAC., *Hist.*, III, 59) — Ut adolescentem in quo *senile aliquid*, sic senem in quo est aliquid adolescentis probo (CIC., *Sen.*, 11) — Natus sum ad agendum semper *aliquid dignum* viro (CIC.) — Homo sum, *humani nihil* a me alienum puto (TER.) — *Nihil novi* fiat contra instituta maiorum (CIC.) — *Nil mortalibus ardui* est (HOR.) — Neque de eius adventu certi *quidquam* habebam (CIC.) — Milites, postquam victoriam adepti sunt, *nihil reliqui* victis fecere (SALL.) — Pythagoras in geometria *quiddam novi* invenerat (CIC.) — Quum *explorati nihil* haberem, tibi nec sollicitudinem nec spem afferre volui (CIC.) — Prima est historiae lex, ne *quid falsi* dicere audeat scriptor (CIC.) — Eo anno *nihil dignum* memoratu actum (TIT. LIV.) — *Quid mali* non vidimus? (CIC.).

De substantivo quod ab altero substantivo pendet.

Non semel substantivum substantivo per praepositionem Latini subiiciunt.

EXEMPLA: *Decoloratio quaedam ex aliqua contagione terrena* maxime potest sanguinis similis esse (CIC., *II Div.*, XXVII) — *Pastoris uxori, audita regii infantis expostione in silva*, summis precibus rogat sibi afferri ostendique puerum (IUST., I, 4) — *Ei libellum malus poëta de populo subiecit* (CIC.) — *Ipse sacer in ore semper Graecos versus de Phoenissis* habebat (CIC.) — *Huc fere omnes ex Gallia naves appelluntur* (CAES.) — *Iamque Caesaris in Hispania res secundae nuntiis perferebantur* (CAES.) — *De contumeliis et iniuriis in magistratum Milesium*, tametsi dici tum vere, tum graviter et vehementer potest,

tamen dicere praetermittam (CIC.) — Heredis fletus sub persona risus est (P. I.) — Affectos animos recreavit repentina *profectio* Hannibal in Oretanos (TIT. LIV.) — *Conscensio in naves cum fuga fuit* (CIC.) — *Iustitia erga Deum religio dicitur*; erga parentes, pietas (CIC.) — Nunquamne quiesceret civitas nostra a *suppliciis*, aut Patrum in plebem Romanam, aut plebis in Patres? (TIT. LIV.) — Boii defecerunt ob veteres in populum Romanum *iras* (TIT. LIV.) — Post Cannensem illam calamitatem, primum Marcelli ad Nolam *praelio* populus Romanus se erexit (CIC.).

De genitivo pro altero casu

Genitivus, sive subjectivus, sive objectivus, saepe locum tenet alterius casus cum praepositione.

EXEMPLA: Aemilius Paulus tantum in aerarium pecuniae invexit, ut *unius imperatoris* praeda finem attulerit tributorum (CIC.) — *Matris ferre iniurias me pietas iubet* (TAC.) — Non dici potest quam flagrem desiderio *urbis* (CIC.) — C. Memmius, cuius de libertate ingenii et odio *potentiae* nobilitatis supra diximus, concionibus populum excitavit (SALL.) — Omnium nationum exterarum princeps Sicilia se ad amicitiam *populi Romani* applicavit — Propter *caelati argenti* cupiditatem — Est enim amicitia nihil aliud nisi *omnium divinarum humanarumque rerum* cum benevolentia et caritate consensio (CIC., Am., VI, 20) — *Commutatio morum* aut *studiorum* (CIC.) — Haec est una via, mihi credite, et *laudis* et *dignitatis* et *honoris* (CIC., *Pro Sest.*).

Substantivum pro adiectivo

Duorum substantivorum quae copulanatur, alterum saepe ponitur pro adiectivo.

EXEMPLA: Certos mihi *fines terminosque* (= strictos fines) constituam, extra quos egredi non possim (CIC., *Pro Quint.*, X, 35) — Mirus quidam omnium quasi con-

sensus doctrinarum *concentusque* (= perfectus consensus) (CIC., *De orat.*, III, 6, 21) — Hanc ego *absolutionem perfectionemque* (= absolutam perfectionem) in oratore desiderans (CIC., *Orat.*, I, 28, 130) — Ad *Cimbros stragemque* volabant qui nunquam attigerant maiora cadavera corvi (IUV., *Sat.*, VIII) — Volgus quoque militum *clamore et gaudio* deflectere via, spatia certaminum recognoscere, aggerem armorum, strues corporum intueri, mirari (TAC., *Hist.*, II, 70) — Visuque et auditu iuxta venerabilis, quem magnitudinem et gravitatem summae fortunae retineret, *invidiam et arrogantiam* (= invidiosam arrogantiam) effugerat (TAC., *Ann.*, II, 72) — Omnium artium quae ad rectam vivendi viam pertinent *ratio et disciplina* studio sapientiae, quae philosophia dicitur, continentur (CIC., *Tusc.*, I, 1) — *Pateris libamus et auro* (VERG.).

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

DE STURA HOMINIS

Terra malos homines nunc educat atque pusillos, Nam genus hoc vivo iam decrescebat Homero.

IUVEN.

Qui de humanae vita longinquitate in superiore Iunii mensis fasciculo dixi, de hominis statura nonnulla hodie scribere censi.

Ponimus quippe primo extra dubium esse, apud omnes exstisset antiquitus homines, qui fuerunt « gigantes nominati illi, viri potentes a saeculo, viri famosi, statura magna et scientes bellum ». Plures ad confirmandum usi sunt mythologiae traditionibus, et Libris sacris, et verbis, quae plerumque apud Homerum poetarum ceteros abundant. Nos, quamvis ea nota sint, quae Caleb et Iosue, bellatores et animosi, de Cananaeis retulere, ad quos missi specu-

latores fuerant, scilicet se Cananaeis comparatos apparere sibi instar locustarum, rem aliunde suscipimus non modo demonstrabilem sed demonstratam; nam et in monumentis ostenditur.

Illud autem est primum quod mensura suprema, cuius ad normam veteres aedificia, campos et cetera dimetiebantur, in homine, et homo tantum erat, qui proinde, uti talis esset, nec maximus, nec minimus inter genus omne eligi debebat, sed medius quidam, qui ab utrisque extremis, quasi a gemino vitio, distaret.

Iamque lectores nostri quae scripturi sumus praevertunt, qui norint antiquas mensuras penes singulos populos ad haec reduci ut digito, palmo, pede, cubito, ulna seu brachio, passu, denique communis verbo, quod *canna* exprimebatur, omnia quae mensurae obnoxia essent comprehendebantur. Haec autem omnia nomina, aut amens sum, de homine quaeruntur, ad hominem pertinent, hominem unice attingunt; *canna* denique nil aliud est Cananaeo sermone praeter *homo stans*. Quum igitur notum sit quid, si ad hodiernam metri vim referatur, mensurae huiusmodi praeferant, quum pateant et supersint monumenta, aedificia dico, quae ad normam antiquorum certis mensuris confecta sint, ea lege quae pictores et sculptores vel in statuis dolandis, vel in hominibus pingendis utuntur, cui a proportione nomen, non minus in oculis quam in intellectu est quantus homo fuerit, quum ille mensurae modus inventus est. Cubitus autem, qui *amana*, seu « mensura mater » appellabatur, quum duplex habeatur, alter *sacer*, hoc est sanctuarii proprius, alter *civilis*, in iis quae ad Hebreos pertinent, nos admonet ineluctabiliter de statura hominibus communi tempore Moysis, ac tempore captivitatis. Sacer autem cubitus fertur ad circa metr. 0,80; civilis ad 0,54. Hinc, quoniam quarta pars humanae statura cubitus sit, in manibus est quid antiquiores homines statura, quid

recentiores proferrent. Scimus insuper tempore Homeri nullos fuisse equites. Aperte dicam impares ferendis hominibus equos tunc fuisse. Quinimo ex loricis et galeis, quas ipse vetustissimas et aeneas manu versavi, reperiisse me medium statutam hominum inter metra duo et quartam metri partem plerumque. Quod quidem confirmat *canna* quae architectonica dicitur: haec enim duobus metris et quarta metri parte protrahitur. Hinc autem milarium, hoc est spatium mille passuum, non mille metra, sed mille et quingenta ac quindecim metra apud Romanos, qui statuta mediocres erant, conficiebat; apud Normannos (in Appulis et Campanis), qui proceriores emebant, mille octingenta et triginta metra aequabat: quod firmat passus sequi proportionem statura.

At undenam hodierna imminutio? Pluribus quidem ac diversis de causis, quae tamen in damna nostra mirabili consensu coniurant. Prima quidem habetur in morbis, quos novos omne aevum tulit, debilitantes, et labefactantes humanum genus. Rem indico medicis patentem satis et gravem.

Altera vero causa statuitur in vitiis, quae in ipso adolescentiae limine corpora frangunt, detrahuntque vigorem et vim sanguini, nervis robur atque virtutem; propterea quod in ipsa iuventute senescunt.

Ecce qua de causa aetas parentum, peior avita, hodiernas gentes dederit, mox progeniem debiliorem datura.

Tertia vero causa in defectu cibi est. Neque mihi succendatis. Non enim is sum qui adstruam his temporibus, quae nunc sunt, ieunios ire pueros, languentes fame iuvenes, confectos macie viros; at hoc unum dico, esse hos cibi utique vinique plenos, sed noster panis caret adipe, sed vinum nostrum plerumque est omne quodlibet praeter uvae filius; quinimo materie interdum pestifera et virulenta panis vinumque constant, viscera farciunt, at san-

guinem minime nutrunt, et, si nutriant, ingerunt in venas quod extenuat, quod exanimat, non quod reficit, recreat et excitat. Ipse haud negabo Suevos statura proceros iisdem vesci, quibus Lapones breves vescuntur; at nemo inficias ibit, civitatibus plerumque, arte fieri ut filii exiguo corpore sint, quos aut choreis theatricalibus, aut equestribus ludis patres destinant, itemque puellae; contra vero metellos et baiulos, qui pro lubito ad satietatem edunt, qui exercitio membra firmant quotidiano ab unguiculis, et statura crescere, et viribus vigere solidissimis.

Hinc illud esse debet (medicus doctor Springer ait) apud eos, qui civitatibus praesunt, ut maxima cura habeatur ne quid, quod a cerealibus non sit, in panem inducatur; ne quid, quod ex Baccho non sit, misceatur cum vino, aut pro vino vendatur; apud parentes autem illud etiam ne filiis ova, lac, iuscula, carnes tantummodo edenda praebantur; immo haec fere arceantur omnia, et cerealia tantummodo ac vina tradantur. Proculdubio restaurabitur statura degentium in oppidis, quibus interdum non modo panis, qui panis vere sit, deest, et vinum quod ex uva sit; sed saepissime et aer, qui totius vitae nocturnum et diurnum alimentum, et continens est. Haec in primis; reliqua vero, quae innuimus, nec lex, nec suasio civilis, sed una potest Religio cohibere, ut finis teterrimi morbi, turpissimis nati vitiis, bacchentur.

H. P.

ANNALES

Europaeum discrimen

Indutiis initis inter Galliam atque Germaniam Italianaque controversiae ab Anglia motae sunt de Gallica classi. Anglia enim per speciem indutiarum pactiones haud satis praestare, ne classis ipsa contra Angliam

adhiberi a Germanis posset, appetebat ut naves Gallorum omnes, quae forte in Anglicis portibus essent, in Angliae tutela manerent; quum autem earum quae in Aurani (*Orano*) Algeriae portu constitutae erant navarcha digne huiusmodi arrogantiae obstisisset, Angli eas, armamentis iam prius iuxta conventa spoliatas, tormentis verberarunt, atque cum nautis pluribus demiserunt. Hinc civiles rationes inter Angliam et Galliam ruptae sunt, legati duarum nationum utrinque revocati, Gallique vicissim fretum Gaditanum, Anglorum usque nunc praesidium, incendiariis ballistis torserunt.

Fretum vero Gaditanum ignivomis globis etiam ab aeronavibus Italis petitum est; pariterque ab iisdem iterum iterumque Alexandriae et Adeni portuum ostium, et Hafae Anglicum oleoductum in Palaestina. Pugnae etiam navales inter Anglos Italosque pugnatae sunt et mare Ionum versus cum mutuis damnis, Anglorum maxime, qui recedere coacti sunt, et ad Ophiusae minoris (*Formentera*) insulam, ubi Itali superiores profecto evaserunt. In terris autem Itali, postquam in Africa orientali plures hostium impetus sustinuere, ultro copias suas in Sudan et Anglicam Somaliam contulerunt, Cassalam, Debel occuparunt, ac deinde Avalitis (*Zeilah*) portum: his diebus ad Berberam urbem caput intendunt. Faustis his auspiciis quadragesimum regni annum a rege suo Victorio Emmanuele III expletum Itali concelebrarunt.

In Gallia interim nova populi constitutio conflata est: Pétain « mareschallo » suprema civilium militarumque rerum moderatore cum omni potestate electo, Lebrun, reipublicae usque nunc praeses, a suo munere libenter recessit. Lithuania denique, Estonia atque Livonia praeter communem opinionem statutis suis abrogatis, a Russia petierunt ut sua territoria « Rerum publicarum Socialistarum Sovieticarum Unioni » adiungerentur; Finnia autem cum Russis convenit de armis ab

Alandiae (*Aaland*) insulis adimendis, deque transitu per Finniae territoria bellicarum Russicarum rerum, quae ad navale Hangoudi (*Hangoe*) munimen contendant.

Et quid de Germania? Apud civilium legatorum coetum Hitlerus magni quidem momenti orationem habuit. Revocatis enim « nationalis socialismi » principiis ac finibus, resumptisque tum civilibus tum militaris rebus hucusque gestis, de belli perpetuate rursus Anglicum supremum administrum incusavit; quin etiam quod per aëreas machinas is damna perduceret in insontes cives, sub specie munita loca, quae re non sunt, expugnandi; se ait usque nunc vix huiusmodi aggressionibus respondisse; non vero credendum hoc esse aut futurum unicum responsum; non quidem se ignorare hinc dolores gravissimasque omnisque generis aerumnas eventura, quibus magnum quod hucusque fuit evertatur imperium.

« In hac hora — addidit — tuta conscientia officium meum sentio iterum iterumque ad meliora et saniora consilia Angliam provocandi: idque credo me facere posse, quia non victus imploro, sed vitor pro recta ratione loquor. Nullam invenio causam qua ad bellum persequendum cogamur: sacrificia, quae ipsum impositurum erit deploro: iis parcere velim... Quidquid futurum erit, animum meum tanto pondere exoneravi ».

Hanc vero pacis propositionem per radiophonicam exterorum negotiorum administris orationem detrectarunt Angli, quod nihil ab Hitlero dictum esset tum de fundamentis quibus inniti rogata pax deberet, tum de rationibus quibus Europa nova esset constituenda: id unum despici licet, — inquit — eas ad principatum adducturas illius, qui pacem proponit non victus, sed vitor; non quidem ad pacem in iustitia unice firmandam: Angliae ex adverso Victoria pro Europa sonat liberarum suique iuris nationum consociationem in mutuo vin-

ctarum labore: Angliae itaque a luctatione minime decadendum est.

Alea ergo denuo iacta est: Germani in lusionem, heu! quam acerbam, pristino viore assuetaque vi iam descenderunt, caelo marique Angliam oppugnantes, ruinasque excidiumque in eam apportantes.

Ex Iaponia

Iaponica agmina ut proposita sua in Sinis consequantur perseverant; recens Shanghai in urbe occidentale territorium praeter fines regionis exteris gentibus concessae invaserunt, atque etiam Sinarum partem in meridiem spectantem, copiis expositis Swahue et Makung in portibus. Classem vero coegerunt ad Hainan insulam atque Tonchini sinum. Nomine autem secretarum delationum in Shang-kai-seh favorem peractarum, Anglorum manum in vincula coniecerunt; de quo Angli Iaponicum gubernium vehementer interpellarunt.

Numne et cum Iaponis Anglicum discrimen oriturum erit?

Idibus Augustis MCMXXX.

POPULICOLA.

LIBRORUM RECENSIO

QUIRINUS FICARI, *De Romanae Ecclesiae historia epistula ad filiam*, p. 13; ASTERIA FICARI, *De praesenti litterarum statu ad patrem epistula*, p. 12. (Pisauri, 1938, 1939).

Perpolitam opellam hic habes, lector, illius Ficari, qui non semel aut iterum e publicis solitae orationis certaminibus vitor discessit, qui que uno et digno et eleganti volumine omnia sua carmina nuper collegit. De carminibus, alias fortasse; nunc de propositis epistulis pauca dicam. Quarum priore cl. auctor filiam ad romanae ecclesiae historiam legendam atque excolendam hortatur, quippe quae et magni momenti ipsa sit et mirifica virtutis exempla praebeat et christiana sapientiae monumenta ostendat. Nihil est enim, quod quidem Europae gentes gesserint, quod cum religione aliquam partem non coniungatur. Ea autem est, quae haud parum

LIBRORUM RECENSIO

UMBERTO MORICCA, *Scritti latini editi e inediti* (Messina, Casa, Ed. D'Anna, 1939, p. 238, L. 15).

Nemini, qui latinitatem sapiat, ignotus est Humbertus Moricca, qui multos iam annos magna solertia acrique studio litteris latinis tantam operam navat ut, quod saltem ad christianas litteras attineat, facile philologorum princeps habeatur. Qui, ne quidquid tot annis latine scripsisset, id vel in libellis tempore editis vel, nondum typis impressum, in scriniolis inertium tinearum pastus lateret, in unum nuper contulit, huius rei quoque causa, ut et suo ipsius exemplo adulescentes cohortaretur ut lingua latinam non modo perdiscerent, sed etiam pertractare vellent.

Praecipua huius voluminis pars de Seneca est. Nam quum in lucem Senecae tragoeidas ad criticam rationem emendatas edidisset, fuisse his praefatus est, omnes quaestiones magno ingenii acumine magnaque eruditione attingens. De quibus, quum non hic idoneus locus pateat, philologi videant.

Peracute idem de duobus illis Lucretii versibus (II, 166 s.) disseruit, qui tot virorum mentes ita exercuerunt, ut in diversas prorsus sententias abierint. Sed cur auctor (p. 118) scripsit: «Dissertatiuncula hic iterum editur, quum primum in lucem prodiisset»? Nonne, post editur, prodierit scribendum erat?

Nonnullas quoque dissertationes hic habes de quadam beatae Christinae passione, a Moricca inventa ac primum edita.

Meos oculos non haec quidem plus detinuerunt, at quae postremis libri paginis continentur, quibus, etsi parvi ponderis res videntur, et suos mores et quandam animi sui acerbitatem et sui ipsius ingenii specimina Moricca obtulit legentibus. Ad memoriam enim patris revocandam pauca quidem conscripsit, sed ea et vehementi animi motu conscripta sunt et vehementer legentium animos movent. Hic illic Ovidii verba ac sensa deprehendas, quae animi moerorem minuere quodammodo videantur. Maximam vero vim tunc Moricca ostendit quum de se ipse mentionem facit. «Quidnam fructus — scribit — ex tot assiduorum annorum labore usque adhuc percepisti, vel potius de cetero me

percepturum expecto? Ah, pater mi optime, quantum homines ab illis diversi, quos in ipso aetatis limine animo effinxeram!» Ad haec eadem in sequenti epistula ad Pium XI Papam redit, idque vel breviter tangit quibus vulneribus immerita passus usque intus doleat ac geomet.

Oratio quaedam quoque suum pondus habet, quam in studiorum universitate Melitensi, quum gradus academici conferrentur, anno MCMXXXIV habuit. In qua, ut Cicero Archiam defendens, ipsam poësim et poëtas summis laudibus extulit, et oratoria quadam vi et poëtarum verba passim mutuando quantum ad ingenuos animos excolendos litterarum momentum sit rotundo ore exponit; qua in re nonnulla Ciceronis loca feliciter est imitatus.

Aliae brevesque epistulae atque inscriptiones in hoc volumine inveniuntur et, quod minus mireris — turba enim sumus! — *acria dulcia*, versus scilicet nonnulli. Est ubi certa manu venenatas sagittas in inimicos auctor iaculetur, ubi Catullum, spurcum inquam Catullum, ac Martialem nimis redoleat. Quod satis probat Moriccam non semel, quamvis longe aliud iter fere semper fecerit, musarum quoque templum vel ad breve tempus pulsavisse. Exempli causa epigramma de ortu Italiae Moderator noster mihi referre sinat:

*Prisci horrendam armis mirando Pallada natam
carminibus partu concinuere suis.
Haec mi visa prius delirae somnia mentis;
nunc autem, fateor, tota adhibenda fides.
Maius enim factum est portentum: e vertice vidi
armatam Italianam prosiluisse Ducus.*

Quum omnia vero hic latine scripta sint, cur libri titulus et auctoris nomen et reliqua huiusmodi non ea quoque latine sunt impressa?

D'Anna autem, vir clarissimus, — meo quoque civi aliquid laudis addam, — perbene fecit quod, editoris munus aggressus, tanti viri opus haud sane ignobile vulgavit.


IOS. MOR.

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSI C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS



VARIA

Si quod malum vel domi in Republica vel adversus Rempublicam foris vehementer actum sit, satius esse id ferre aliquandiu, quam in id eniti ut violenter extirpetur.¹

Quum Romana potentia cresceret, vicini populi, qui parum ab initio consideraverant, quantum nova haec Respublica, si caput extulisset, ipsis nocere posset, errorem suum tarde agnoverunt. Cui quum medium adhibere vellent, foedus inter se sese adversus Romanos quadraginta populi pugnerunt. Sed Romani, periculo cognito, praeter ea quibus ante uti solerent, novum adversus hoc malum excogitarunt remedium. Dictatorem enim creare decreverunt, cui potestatem dabant, ut ex animi arbitrio consultaret, et ea quae ex usu Reipublicae fore putaret, absque impedimento exsequeretur. Atque id ipsis, et ad praesens periculum superandum, devincendosque populos illos omnes utile fuit, et sequentibus temporibus, quum actum imperium fuit, in multis procellis sedandis et superandis difficultatibus salutare. Quae res nobis documento esse debet, ut si quod malum, vel domi in Republica, vel adversus Rempublicam foris, tantopere actum fuerit, ut timorem incutiat, tunc satius esse id aliquandiu ferre et occasionem expectare, quam ut nos subito ei magna cum violentia opponamus et extirpare conemur: quod si extirpare id subito enitemur, maius incendium efficiemus, et id quod ex illo malo metuebatur, plerumque promovebimus. Huiusmodi incendia persaepe in Republica accenduntur, et quidem ab internis causis citius quam externis, veluti quum permittimus ut unius civis potentia, plusquam ex usu Reipublicae sit, augeatur, aut leges aliquae paullatim aboleantur, qui-

bus libertas innitebatur; quod malum advertente nemine eo usque incrementum accipit, ut satius sit ferre id postea quam extirpare conari.

Pro iudicibus mensarum elegantibus

ESCARUM ORDO:

*Iusculum regium.**Homarus vulgaris elixus, cum embamate Magonensi.**Pulmentarium ex cucurbitulis.**Anates assae.**Dulciola varia.***Locosa**

TUCCIO Amicus:

— Veni mecum ad visendum museum statuarium.

— Haudquaquam; odi statuas. Olim enim marmoreum caput mihi fletum excussit.

— An quia vultus acerbissimam imaginem exprimebat?

— Non; quia super pedes meos procubuit.

TUCCII in schola.

MAGISTER: — Profer gradum comparativum adiectivi «aeger».

TUCCIUS: — «Magis aeger».

MAGISTER: — Bene! «Aeger» autem in gradu superlativo fit...

TUCCIUS (sine ulla dubitatione): — Mortuus!

Aenigmata

I

Fida soror tibi, Elissa fui. Mihi litterula una praeficitur necnon altera subiicitur?

Nascitur urbs subito, quondam quae strage ne-

[fanda]

Romanos caesos sensit ab Hannibale.

II

Decurrentes volvorum tenui per prata susurro.

Inseritur mihi rho? Do decus arboribus.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo propo-
sita his respondent: 1) *Cynthus, Cyathus;*
2) *Creon, Anacreon.*

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

Ann. XXVII

Romae, mense Octobri MCMXL

Fasc. X



ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXL est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque mittendum sive ad IOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

DE ETHNICORUM ET CHRISTIANORUM HYMNIS IN SACRIS SOLEMNIBUS CANENDIS

Ethnici in suis sacris solemnibus ad deos colendos hymnos habuisse apprime novimus. Salaribus, Anciliaribus, Convivalibus carminibus sepositis, Livius Andronicus (240 a. Chr.) carmen piacularum ad Iunonis iram placandam composuit, quod viginti septem puellae cecinerunt. His prestationibus victoria ad Metuarum contra Hasdrubalem exornatur, eodemque tempore Senatus consulto statutum est, ut Poëtæ in Aventino monte templum Minervae dicarent. Sed de tam multis carminibus nulla traditio superest. Notissimum tamen exstat Horatii Flacci illud carmen saeculare, quod Octaviani Augusti iussu, in Iudis saecularibus restitutis (17 a. Chr.) a viginti septem pueris totidemque puellis canendum erat.

Sacri hymni longe melius apud Christianos floruerunt; nosque, suavitate argumenti illecti, de binis hymnis disceptabimus.

Exemplum sumemus ex historicis hymnis, quorum alter a Divo Thoma, alter ab Horatio nobis traditi sunt.

Thomas illud «Sacrī solemniis iuncta sint gaudia» in Festi Corporis Christi, officio cecinit, quum novum atque inef-

fabile sacramentum, a Vulsinio dictum, fidelium animos commovit. Ex sermone Thomae Aquinatis accepimus: «Ut autem integro celebritatis officio institutionem tanti Sacramenti recoleret plebs fidelis, Romanus Pontifex Urbanus IV huius Sacramenti devotione affectus, pie statuit praefatae institutioni memoriam prima quinta feria infra octavam Pentecostes a cunctis fidelibus celebrari».

Hymnus panegyricus ita sonat:

*Sacris solemniis iuncta sint gaudia
et ex praecordiis sonent paeonia;
recedant vetera, nova sint omnia
corda, voces et opera.*

*Noctis recolitur coena novissima
qua Christus creditur agnum et azima
deditse fratribus, iuxta legitima
priscis indulta patribus.*

*Post Agnum typicum, expletis epulis,
Corpus dominicum datum Discipulis,
sic totum omnibus quod totum singulis
eius fatemur manibus.*

*Dedit fragilibus corporibus ferculum,
dedit et tristibus sanguinis poculum,
dicens: accipe quod trado vasculum,
omnes ex eo bibite.*

*Sic sacrificium istud instituit,
cuius officium committi voluit
solis presbyteris, quibus sic congruit
ut sumant et dent ceteris.*

*Panis angelicus fit panis hominum,
dat panis caelicus figuris terminum;
o res mirabilis, manducat Dominum
pauper, servus et humilis.*

*Te Trina Deitas unaque poscimus
sic nos tu visita sicut te colimus;
per tuas semitas duc nos quo tendimus
ad lucem quam inhabitas.*

Horatianae metricae legibus hymnus obedit, nam de asclepiadea tetrastica diopodia agitur, quae ex ternis minoribus asclepiadeis et ex singulo gliconeo constat.

Cum Pentecostis solemnibus novum hoc Corporis Christi festum connectitur, unde poëta fideles ad novum gaudium incitat primis duabus strophis «*Sacris solemnibus iuncta sint gaudia*». Sequitur pars historica: «*Noctis recolitur*»; «*Post Agnum typicum*»; «*Dedit fragilibus*». Pars liturgica subit: «*Sic sacrificium*» compleat: «*Panis angelicus*»; clauditur hymnus Dei unius et trini laude, recinendo «*Te Trina Deitas*».¹

Qua nobilitate polleat hymnus, a nobis non est decantandum: illo enim augustissimum Eucharistiae Sacramentum canitur, quo nil sanctius, nil divinius; unde facile explicatur ille vaticinus furor, quo poëta theologusque rapitur auditores omnes invitans: «*Sacris solemnibus iuncta sint gaudia*». Narratio historica brevitate perspicua, non brevem evangelicam expositionem resumit, qua de causa facile, ante oculos, tota Christi passio cadit. Explicit hymnus illa eucharistica laude, quae eodem tempore et precem et spem sapit: «*Per tuas semitas duc nos quo tendimus, ad lucem quam inhabitas*».

* * *

Alter hymnus de quo ratio nostra erit, nullique inter doctos viros ignotus, *Car-*

¹ *Panis angelicus fit panis hominum*, in qua legitima illius *humilis* significatio sonat: et «*pauper humilis*», seu etiam «*pauper qui humilitate sua Domino non displicuit*». — Hymnum italico sermone egregie Ioachim Belli interpretatus est, eritque utique legendus (*Inni Ecclesiastici*. Roma, Garroni, 1913).

men saeculare inscribitur. Q. Horatius Flaccus carmen scripsit, quod in tabula quadam Fastorum consularium legitur; et utique, iubente Augusto, Horatius hoc hymno ludos saeculares nobilitavit. Sapifica stropha poëta utitur; Aquinas vero asclepiadea cecinit; id parvi interest, rei caput est quod poëtae sacrum hymnum cantentes non solum dignitate argumenti inter se differunt, quum Horatius commenticia numina, Aquinas autem verum Deum cantant, sed ipso canendi stylo.

In Aquinate perspicua est unitas divini afflatus, quam perperam apud Horatium invenies. Aquinas enim in argomento proposito: «*Coena novissima*» perstat et instat nunquam digrediens, quod fit tertia stropha: «*Corpus dominicum*» — «*vasculum ut bibant*», quinta: «*Sacrificium*», sexta: «*Panis angelicus*». Ubinam tam perspicua unitas?

Apud Horatium contra notatur: hymni argumentum totum esse in Apollinis atque Dianae laudibus: «*Phoebe silvarumque potens Diana*» quibus Sibyllini versus monuere «*dicere Carmen*». Sed poëta statim laudes divorum reliquit, quae erant canenda, et vota promittit:

a) ne sol, — id est Phoebus, — quid Roma maius visat;

b) ut Diana, Lucinae nomine adhibito, partus et matres tueatur; sobolem producat; prosperet decreta Patrum; ut populus referat cantus et ludos.

Quo Divorum laudes abierunt? Divis Apolline et Diana sepositis, Parcae id est Moirai Lachesis, Atropus, Clotus inducuntur. Tellus quae Cererem, alibi Dianam, spicae corona donat, Romanorum in agros feracitatem apponit, sed id ad laudes divae quid refert? Redunt Apollo et Luna, id est Diana, quibus Aeneae fabula adnectitur; reliquus hymnus romanum imperium nuper constitutum melius semper prorogat in aevum. Conclusio Iovem deosque cunctos appellat ac tandem chorus

puerorum puellarumque Phoebum atque Dianam evocat, dicens se doctum eorum dicere laudes; sed quas laudes? Potius dicaret se doctum promere vota.

Horatius didascaliam secutus est quam Zosimus, Theodosii imperatoris aequalis, retulit; cuius rei causa totus hymnus notitiae inventi caret, et si quando nitet, ut in illis «*alme sol*»; «*condito mitis*»; «*iam mari terraque*», nitor hic non ex argomento, sed ex poëtae cerebro fulget. Multa sunt demisse expressa, quae non artem poëticam, sed historicam fidem spectant: «*cui per ardorem*»; «*quaerere vos bobus*»; «*iam Fides et Pax*»; «*si Palatinus*»; «*haec Iovem sentire*», omnia divino spiritu parentia quae in eucharistico hymno nullum locum haberent. Plura sunt, quae demi possunt, multa sunt in quibus, non bonus Homerus, sed bonus Horatius alto somno dormitat.

Ex Aquinatis hymno quid demi posset? Veluti saxum stat nulloque modo partem de illo solido saxo demas. Venustus et constans fidelium canentium captui se praebet; contra, puerorum puellarumque captus nec scio quae ex horatiano carmine essent prona ac perspicua. Quid de Mediis, quid de Scythis, quid de Indis pueri noverant? Quid de lege Papia Poppea? Pueri et pueri quid sentire poterant de feraci lege marita? Ipsi qui puerili simplicitate gaudentes nil melius quam ludum, quam pomparam avebant?

Hymnus hic in Palatino atque in Capitoline colle quum a pueris caneretur, neque a pueris neque a romano populo intelligebatur, nullamque virtutem habebat animos ad pietatem movendi; qua de causa horatianus hymnus non sacer, sed politicus dicendus est. Bene quidem in aula a Flacco, a Vario, a Tucca, a Vergilio, ab Agrippa, a Maecenate, Augusto praeciente, cani poterat. Aquinatis vero hymnus per saecula in ore fidelium sedit, atque sedebit, quia vere ac proprie sacer hymnus

fuit. Itaque binis his inter se hymnis collatis atque inspectis cuinam palma erit statuenda? Aquinati christiana an Horatio ethnica Camoena canentibus?

Sed omnibus hoc vitium! Plura sunt quae apud nostros scriptores nitent, sed facile seponuntur; nam haec humanistarum traditio fuit: ethnicos poëtas ad astra extollere, nostros humi deprimere. Multa, pulchra dicuntur quia ab Horatio seu a Vergilio dicta fuerunt; eadem aliquando etiam potiora, nulla laude ornantur, quia non ex Horatio, non e Vergilio fluxerunt.

Pro dolor! degeneravimus a parentibus nostris, ab iis, a quibus, Media intercedente aetate, humanitatem accepimus, atque docentium ignavia, tyrones nostri in sacris Seminariis ne unum quidem ex Mediae aetatis latinis scriptoribus cognoscunt, dum in eorum scriptis tam fulgida exempla inveniri possunt, ut ex Pauliniano *de lusciniae cantu* in superiore huius commentarii fasciculo, et ex delibato Aquinensi hymno, cognosci potest.

Sed de his nunc satis; plura infra dicemus.

ALEXANDER AURELI.

HISTORICAE NOTAE¹

De Romana Republica ab abrogatis decemviris ad coniurationem Spurii Melii.

Abrogatis decemviris — refert traditio — restituitur in Republica regimen consolare cum provocatione: primi novi consules ab interrege creati sunt M. Horatius et M. Valerius, qui libertatem restituere et «*leges duodecim tabularum* in aes incisas populo in foro exposuere atque rogavere; plebis magistratus novis cautelis muniere».

¹ Cfr. fasc. sup. mens Iuli.

Alias leges plebi faventes Horatius et Valerius consules rogasse feruntur. Appius Claudius et Oppius decemviri, in carcerem deducti, periere, ille manu sua, hic autem morbo; reliqui decemviri in exsilium pulsi.

Pace ita rursus interna composita, Romani ad externos compescendos sese verterunt. Insequenti anno (CCCCXLVIII) dicuntur a tribunis plebis in tribunos «cooptati» duo patricii, iidemque consulares: Sp. Tarpeius et A. Aternius; sed L. Trebonius, plebis tribunus, auctor fuit ut, «cooptatione» abrogata, singuli plebis tribuni comitiis tributis crearentur. Dissensiones inter patricios et plebeios quotidie renascuntur: illi concessiones iam factas aegre ferunt, hi novas cupiunt. C. Canuleius, tribunus plebis, proponit: 1º ut ius connubii inter patricios et plebeios tandem concedatur; 2º ut alter saltem consul vel a plebe deligi possit. Utrinque contendunt; sed imminente iam Volscorum Aequorumque nova irruptione, patres tandem primum rogatum concedunt; quod autem ad alterum, nova quaedam via initur: quoniam nefas videbatur patrum consulare munus plebi committere, consulum loco creati sunt novi magistratus «Tribuni militum imperio consulari», annui, sed certo quodam numero, qui ex utrisque deligi possent. Primi tribuni militares imperio consulari a CCCXLIV tres fuere: A. Sempronius, L. Atilius, T. Clelius; sed non ex ritu augurali; quapropter sese munere abdicant, eorumque loco bini consules restituuntur.

Eodem anno Ardeae fit plebis secessio a patriciis, contentione inter eos exorta ob virginem a patricio quodam et a quodam plebeio concupitam. Patricii a Romanis, plebei a Volscis auxilium petunt: illi, consule Geganio duce, hos deviceret et sub iugum misere: Ardea fit colonia Romana.

Quum autem Roma caritate rerum atque morbis afficeretur, senatus, an. CCCCXL, primum «Praefectum Annonae» creat

L. Minucium. Sed patricius Spurius Melius, captans favorem plebis, magnam frumenti copiam populo distribuit, operam implicans «Praefecti Annonae», cupitque rex creari. Res in maximum discrimen devenerunt: plebs erat Spurio Melio devincta; Dictator creatur L. Quintius Cincinnatus, qui sibi magistrum equitum deligit C. Servilius. Hic Spurium citat, deinde inopinato trucidat sica, quam sub ala abscondens, ideoque C. Servilius Ala dictus. Dominus Melii solo aequatur, unde Aequimelium locus ille appellatus. Minucio, qui coniurationem patefecerat, columna ad portam Trigeminam dicata, super quam bos erat auratus. Populus Spurii morte commovetur; sed ecce hostes irruunt: pax interna componitur; bellum initur ad Fideates Veientesque compescendos; quibus bellis iam aetatem ingredimus, quae magis a fabulis recedit, accedit autem ad historiam.

Sed prius quam ulterius procedamus, nonnullas criticas notas iis quae superius retulimus addere iuvat.

Lucius Minucius Praefectus Annonae exhibetur; attamen praefectus annonae, uti extra ordinem magistratus, creatus appetit an. CI a. Ch. n.; porticus autem frumentaria, quae Minucia appellabatur, erecta est non ante an. CVI a. M. Minucio illo, qui de Scordicis triumphaverat. Praeterea Lucius Minucius hic exhibetur cooptatus fuisse undecimus tribunus ab ipsis tribunis; sed iam Livius animadverterat nusquam plus decem tribunos fuisse. Spurius Melius equestri ordine perhibetur atque ab Ala interfectus; at idem paulo post (anno CCCCXXXVI) appetit tribunus plebis Alameque accusat.

Quoniam vero post Graecanos tumultus lex quaedam Servilia res perturbatas restituisset (CVI a. Ch. n.) atque (an. CXXI) Minucius quidam plebis tribunus maximam dedisset operam, ut leges Graecorum abrogarentur, nil mirum si ea quae saec. II

facta fuerint ad saec. V anticipata sint.

Traditio de statua aurata refert; at iam Valerius Maximus (II, 5) notat: «Statuam auratam nec in Urbe, nec in ulla parte Italiae quisquam prius aspexit, quam a M. Acilio Glabrone equestris patri poneatur in aede Pietatis»; cui concinit Livius (XL, 34).

Conatus ad regnum restituendum primis reipublicae temporibus fieri quidem potuerunt, non postea. Aliquid tamen veri latet in hac narratione tota; sed qua forma nobis tradita est, fabulosa late appetit.

SILVIUS ROMANI.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

Genitivus et ablatus qualitatis

Non indiscriminatim usurpantur genitivus et ablatus qualitatis.

EXEMPLA: *Ingenio et sermone eleganti, valetudine incommoda* Sextius Calvinus fuit (CIC., Brut., 34) — Cato in omnibus rebus singulari fuit prudentia et industria (CORN. NEP., 24, 3) — Hannibal's nomen erat magna apud omnes gloria (CIC., De Or., II, 18) — Natura humana imbecilla atque aevi brevis est (SALL.) — Critognatus magnae auctoritatis in Arvernus habitus est (CAES.) — Philodami filia summa integritate pudicitiaque existimabatur (CIC., Verr., I, 25) — Iulius Caesar fuisse traditur excelsa statura, colore candido, terribibus membris, ore paulo pleniore, nigris vegetisque oculis, valetudine prospera, nisi quod tempore extremo repente animo linqui atque etiam per somnum exterreri solebat (SUET., Caes., 45) — Plura scribere non possum, ita sum animo perculso et abiecto (CIC., Attic., III, 2) — Antonius vir maximi animi, utinam etiam sa-

pientis consilii fuisse! (CIC., II ad Br., 8)

— Nimium me timidum, nullius animi, nullius consilii fuisse confiteor (CIC., Sext., 16) — Quem vestrum tam tardo ingenio fore putavit? (CIC., Leg. agr., 3, 2) — Tu fac animo forti magnoque sis (CIC., Fam., I, 5) — Qualis futurus sit equus, e pullo coniectari potest, si est oculis nigris, naribus non angustis, aribus applicatis, non angusta iuba, crebra, fusca, subcrispa, subtenuibus setis, implicata in dexteriorem partem cervicis (VARR., R. R., 2, 7) — Herodotus tanta est eloquentia, ut me magnopere delectet (CIC., De Or., II, 13) — Agesilaus statura fuit humili et corpore exiguo (CORN. NEP., 17, 8) — Turpi facie multos cognovi optimos (PHAEADR.) — Ibides perniciatis mirandae sunt (P.) — Ibes sunt aves excelsae, cruribus rigidis, corneo proceroque rostro (CIC.) — Hostes tegebat silva infinitae magnitudinis (CAES.).

De genitivis «nostrum, vestrum, nostri, vestri, etc.».

Genitivi «nostrum, vestrum», «nostri, vestri» et alia in *i* terminata usurpantur sensu valde diverso.

EXEMPLA: *Tetigine tuī quidquam?* (TER.) — Homo utriusque nostrum amantis (CIC., Fam., XI, 27) — Imperium summum Romae habebit, qui primus *vestrum*, o iuvenes, osculum matri tulierit (TIT. LIV., I, 56) — Patria communis est omnium nostrum parens (CIC., Cat., I, 17) — Non omnis moriar; multaque pars mei vitabit Libitinam (HOR., Od., III, 30) — Quis nostrum exercitationem ullam corporis suscipit laboriosam, nisi ut aliquid ex ea commodi consequatur? (CIC., Fin., I, 10) — Praesens omnium nostrum, milites, fortuna fidem cuius facere potest (TIT. LIV., XXV, 38) — Cui proposita sit conservatio sui, necesse est huic partes quoque *sui* caras esse, carioresque quo perfectiores sunt (CIC., Fin.,

¹ Cfr. fasc. sup.

V, 13) — Video, Patres conscripti, in me omnium *vestrum* ora atque oculos esse conversos (CIC., Cat., IV, 1) — Minus habeo virium quam *vestrum* uterque *nostrum* cupid (CIC., Att., XIII, 33).

De ablatis qui a comparativo pendent

Quidam ablativi comparativi praeeentes totius propositionis locum tenent.

EXEMPLA: Plerique iniurias suas gravius *aequo* (=quam aequum est) habent (SALL.) — Et Hasdrubalis et aliorum *spe* omnia celeriora atque expeditiora fuere (TIT. LIV.) — Latius *opinione* malum disseminatum est (CIC.) — Fama prius, qua incerta in maius *vero* ferri solent, praecpta res erat (TIT. LIV., XXI, 32) — Omnia maiora etiam *vero* praesidia hostium, minora sua, metu interprete semper in deteriora inclinato, ducebant (TIT. LIV., XXIV, 44) — Sumus *solito* rariores, quod initium est gradatim desinendi (PI., Ep., II, 14) —

Quidam plus *aquo* in amicitiam congerunt (CIC.) — Ille ad patrem patriae *exspectato* revolavit maturius (VELL. PAT.) — Imbris continuis citatior *solito* amnis (TIT. LIV.) — *Dicto* prope citius equum in viam deiecit (TIT. LIV.) — Caesar *opinione* celerius venturus esse dicitur (CIC., Fam., XIV, 23) — Sic ait Neptunus, et *dicto* citius tumida aequora placat (VERG., Aen., I, 142) — Hic est truculentior atque plus *aquo* liber (HOR., Sat., I, 3) — Cur *solito* citius liquido iubar aequore tollit dies? (Ov., Fast., V, 547) — Laevinus serius *spe* omnium Romam venit (TIT. LIV.).

Quod tempus usurpari debeat

Latini ea tempora usurpant, quibus exprimatur quod in mente est.

EXEMPLA: Hostes ubi singulares e navi egredientes *conspexerant*, impeditos adorabuntur (CAES.) — Simul *inflavit* tibicen, a perito carmen agnoscitur (CIC.) — Quum ad villam *veni*, hoc ipsum, nihil

agere, me delectat (CIC.) — Id si *feceris*, et Spartam et ceteram Graeciam sub tuam potestatem se adiuvante te *redacturum* Pausanias pollicetur (CORN. NEP.) — Qui prior *strinxerit* ferrum, eius Victoria erit (TIT. LIV.) — Id tu, Brute, iam intelliges, quum in Galliam *veneris* (CIC.) — Quocumque me *verti*, argumenta senectutis meae video (SEN.) — Amicitia quae *desit* nunquam vera fuit (CIC.) — Quod quum facies, communis commodo *inservieris* (CIC.) — Telo si primam aciem *praefrigeris*, reliquo ferro vim nocendi *sustuleris* (IUST.) — Si nos *premet* eadem fortuna, quid pueri misero fiet? (CIC., Fam., XIV, 1) — Si paulo latius *dixeris*, *exploris* omnem *exspectationem* nostram (CIC., De Or., I, 47) — Si fundamenta nostrae defensionis *erunt posita et constituta*, nullam accusationis partem pertinescam (CIC., Scaur., 6) — Ex voluntate Sullae omnia se *facturum* promittit (SALL.).

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

SELECTA PETRI ROYZZI MAUREI EPIGRAMMATA

Pedro Ruiz de Moros, ortu Hispanus, in urbe Alcagnitio (*Alcagniz*) in Aragonia sito sexto decimo saeculo ineunte natus est. Artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, in urbe patria eruditus Ilerdae iuri Romano navavit operam. Sub anno 1537 in Italiam profectus per quinque minimum annos in diversis urbibus, praecipue Bononiae, studiis antiquitatis se dedidit, dum Petrus Gamratus, archiepiscopus Gnesensis, virum litteratum in Poloniam arcessivit, ut in universitate litterarum Cracoviensi utrumque ius doceret. Anno 1549 ad aulam regis Sigismundi Augusti vocatus est, apud quem munere iuris consulti et consiliarii fungeretur. Illum, cum sedem in Lituaniam transferret, secutus ex anno 1557 Vilnam

urbem domicilium habuit, ubi canonicus atque custos ecclesiae cathedralis factus est. Qua in urbe vicesimo tertio die Martii 1571 animam efflavit.

DE EBRIETATE

Post tantas mensas repetitaque pocula bacchi
Non homines credas, pocula crede loqui.
Cogere parce scyphos nolentem haurire, vel
Si praestare nequis, coge venire sitim.
Cum sitio, permitte bibam, ne coge negantem;
Ille bibat, cum vis, qui bibit absque siti.

REI PUBLICAE SALUS

Publica res, recte factis si praemia desint
Poenaque delictis debita, stare nequit.

ADAM PRIMUS ET SECUNDUS

Primus Adam genus humanum damnaverat orco,
Sanguine quod fuso liberat alter Adam;
Invexit miseris mortem mortalibus ille,
Hic obitu vitam rettulit ipse suo.

AD CUNCTATOREM

Auditis precibus partem in quamcumque reclina-
nas,
Disce negare cito, vel dare disce cito.
Nam quisquis cito dat, bis dat; qui tardius, illi
Omnis cunctanti gratia paene perit.

DE GARRULITATE FEMINARUM

Me nisi religio prohiberet credere contra,
Quam sacra praescriptum pagina Mosis habet,
Ex costa fabricata viri cui femina dicta est,
Eruta sopito quae fuit una viro:
Tantum quod loquitur, tantum quod femina
garrit,
Dixisset: ex lingua femina facta viri est.

CULPAE REMEDIUM

Erranti erroris confessio sola medela est;
Qui sua defendit crimina, bis reus est.

PAUCA LOQUENDUM

Multa audire decet prudentem et pauca profari,
Os qui unum ac aures se scit habere duas.

AMICUS

Non aurum vel opes, studio quaerantur amici;
Divitiis melior, credite, amicitia est.

DE FORTUNA

Fortuna haud somno, duro est quaerenda la-
[bore;

Hoc spreto semper desidiosus eget.

IN LOCUPLETEM

Distrahe quidquid habes facilis largireque. Chri-
[stus

Aeternas ad opes hoc tibi fecit iter.

Pauperibus tua praebe, omni sic te exue gaza;
Hac tibi perpetuas lege parabis opes.

IN BLANDILOQUOS

Ridentem blande semper blandeque loquentem
Hunc ut avis laqueos, ut fera rete, cave.

DE USU OPUM

Stultus opes dominas misere sibi fecit; easdem,
Qui sapit, imperio subicit ille suo.

DE QUATTUOR TEMPORIBUS

Claudit hiems terras, aperit ver, frugibus aestas,
Pomis autumnus replet; et annus abit.
Maeret hiems, ridet ver, gaudia duplicat aestas
Messibus, autumnus vitibus; annus abit.

INCISUM IN HOROLOGIO

Utendum est aevo; properantibus effluit annis;
Horas, dispensas quas bene, crede tuas.

Scriptoris carmina, quae supra proposui-
mus ex editione deprompsimus, quae a
Bronislavo Kruszkiewicz anno 1900 Cra-
coviae publicata est.

Vratislaviae scripsi tertio die mens. Septem-
bris anno 1940.

HANS LIS,
studiorum consiliarius.

QUORUNDAM ANIMALIUM VIAE, PUGNAE, INSTINCTUS

Quoniam eo tempore sumus, quo res
hae propius percellant, aliquid adnotare
placet in iis, quae ab animalibus offeruntur
miranda potius quam respicienda.

Et haec nos quidem aspicimus potius
quam perspicimus, nisi altius oculos in-
tendamus, Causamque rerum potissimum
in exiguis etiam fateamur pulcherrime fa-

cientem, et minima quaeque opportunissime temperantem ac disponentem.

Prima itaque sunt animalibus praescripta itinera quaedam, alimento eorum et generationi mire convenientia, quae adamussim pariter variarum ornatui tempestatum et conditioni respondent, atque hominum utilitati aptissime inserviunt.

In quibus mihi notanda praecipue occurrit lex, qua maris et caeli patet his via felicior longe ac tutior illa, quam nos fulti doctrinis, experientia muniti, omnibus deinde subsidiis praecincti aggredimur, calamitatibus et infortuniis obnoxiam.

Hirundines enim certo tempore discessurae, quasi e condito simul, singulis turmis per oppida singula nativa, atque, ut ita dicam, patria coactis, ire per aërem, redire, laetitia dices gestientes, ibique morari, diuque interdum innectere quasi moras. Ne credas id absque causa; temporis opportunitatem exspectant, non quae serenus sit aether, et mare placidum, sed quae consentiens afflet ventus in loca pertenda. Ubi instinctu novere haec esse coram, subito consilio cohorte facta, aciebus instructis, inire volatum, addere sese sociis, quae proximiores litoribus quaerendis exstant, ac demum agmine longo, exercitu magno pennas dare secundis flamminibus, et ex Italicas regionibus in Syriam, in Aegyptum, in Libyam, in Mauritaniae geminas tuto procedere.

Absit ut cogites devias ire, errare posse, deficere. Unaquaeque probe noscitur unde abeat, quo tendat, qui sint scopuli, insulae, aiae ad requiescendum in via. Nec una deerit proposito. Revisent ad apicem domos, tecta, turres unde venerunt, unde vere novo migraturae in nostra redibunt; nec defuere ex hisce delicatissimis avibus, quae singulis autumnis, quae vere quovis, alligatis ab hospite taeniola et charta subala, nunciae fuerint mutuae salutationis inter homines qui Italiā et Africā incolerent, nec alio modo, nisi hirundine hac,

novissent esse eum, a quo salutarentur quotannis.

Numquid unquam fecellit eos ventus? Numquid, iter quum facerent, procella unquam orta est?

Quae de hirundinibus dixi, haec etiam de coturnicibus dictum velim, quibus idem iter, eademque quotannis gemina conspi cienda sunt litora, praeter unum illud, quod plerumque noctu aggrediuntur, diebus delitescentes in herbis et paleis ad litus maris, at palabundae et vix binae. Idque eo mirabilius; nam non ceterarum exemplum eas movet, nec multitudo similium trahens, sed quaedam interior vox, quam quo nomine appellem nescio, monentem autem scio. Atque haec talis est ut, quae singulariae aut binae tantum evolare ac demigrare videantur, debito spatio interposito, ad oppositum quae situmque litus pervenire simul cernantur. Quapropter quotannis est iis tum Maio, tum Septembri mense miseraria clades ex retibus ad oras pelagi praeparatis.

Cur autem insidias anno insequente non vitant? Cur alio non appellant? De itinere vox illa monebat, de insidiis non admonebat.

Et quid erit scolopax nobis? Aestate nives et frigora quaerens aut Alpium asper rima, quae inter Asiam et Europam sunt, ac Urales montes vocantur, aut siqua habentur inaccessibili gelu loca deserta tenebit, ibique dabit operam filiis; redeunte gelu, et saeviente apud nos hieme redibit; nec tamen erit insidiator aut scrutator ex nobis, qui de invento aut reperto scolopacis nido glorietur.

Iam nunc est sermo de iis, quae — mirabile dictu! — animantia subdita septem sunt stellis, quas Triones appellant, aut Carrum, aut Ursas. Ex hisce pleraque ubi concrevit glacie mare, perpetuoque illo Borea semestri omnia nive obducta et abdita sunt, indumento albo vestiuntur, ne hostibus, ursis praesertim albis, facile innotescant. Tum ex regionibus illis asperimis, ubi mitiore aërem sex experta sunt mensibus, ex illa Borealis poli pace descendunt, quasi exsulans inde sex mensibus lumen sequentia, redditura rursus ad Arcticas oras, ubi tempus monuerit.

Pisces quoque ex loco in locum migrant, quorum exodus et vices facto patent, causis latent, redditus non satis notescunt.

(*Ad proximum numerum.*)

M. L.

ANNALES

Europaeum discrimen

Germanorum in Anglos offensio a mense acerrime producitur tum in mari, custodiis ubique positis ne externae naves commeatut ad eos suppeditare possint, tum, idque maxime, in aëre, sine intermissione Londonum, urbem caput, aliasque urbes munitionibus aut officinis industriarum praevalentes, ignivomis globis diu noctuque penteentes, atque incendia omnisque generis ruinam apportantes. Angli vicissim aerēas incursiones peregerunt per Germaniam passim, neque Berolinum missum fecere; quin etiam neque Galliae, Daniae, Bataviae territorio pepercérunt, et Helvetiae, neutram partem sequentis, finibus non semel violatis, in Italiā usque progressi sunt, ubi Augustam Taurinorum, Mediolanum aliaque Pedemontanae, Langobardiae Liguriaeque regionis loca, quamquam non graviter, offenderunt.

In terra Itali per Orientalem Africam contra Anglos pugnarunt, Berberaque urbe capta, a Somalica integra regione eos depulerunt, victoriaque arma ad Aegyptios Anglicos fines usque intulerunt, Sollumam urbem occupantes.

Dum haec infesta fiunt, nubes ex quibus et procella in Balcanica regione impendere videbatur, fausto auspicio dissipatae sunt.

Amice namque dissensiones inter Bulgariam et Rumeniam compositae sunt: per foedus enim Craiovae in urbe pactum, haec inferiorem Dobrugiam cum pace alteri concessit, quae ita septem millibus et septingentis quadratis chilometris atque trecentis et septuaginta millibus incolarum aucta est.

Hungaria autem Transilvaniam a Rumania repetebat; quum in disceptionibus ad rem habitis discrepaniae, quae minime inter partes conciliari viderentur, exortae essent, consilium arbitrio Germaniae atque Italiae commissum est; quorum legati, utriusque nationis ad exterorum negotiorum administri, Vindobonam convenerunt ac Transilvanici territorii partitionem definierunt, optione concessa civibus uni vel alteri civitati adhaerendi, atque fide ab Italia Germaniaque Rumaniae data, sese finium constitutorum integratatem sanctitatemque tutaturas. Ex hac duplii territorii civiumque imminutione, quae Rumaniae contigit, factum est, ut Carolus rex regno abdicaverit et in eius locum sufficitus fuerit Michael filius, qui iam, utrum est, regno ab anno MCMXXVII ad MCMXXX non sine populi favore praefuit.

Priusquam rivos hodie claudamus, addendum est Anglos Bermudas insulas aliasque oceanicas possessiones plures suas Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis locasse, et a Shanghai Sinensi urbe praesidium suum retraxisse.

Idib. Septembr. MCMXL.

POPULCOLA.

Maiore tormento pecunia possidetur, quam acquiritur.

SENECA.

Quod commune alteri est, desinit esse proprium.

QUINTILIANUS.

Haud est virile terga fortunae dare.

SENECA.

causae atque fines explanantur: tres scilicet partes contrahentes conditionem prae-iudicialem stabilis pacis considerantes nationes universi orbis omnes locum possidere debere qui ad singulas spectet, decreverunt aliam ab alia sustineri mutuamque operam impendere in actione, quam altera in maiore Asia orientali, alterae in Europae regionibus eo fine evolvunt, ut constituant serventque novum rerum ordinem, qui mutua commoda prosperasque res promoveant populorum. Commune itaque trium rerum publicarum moderatorum esse affirmant desiderium, ut ad hanc operam accendant quotquot per orbem nationes existent iisdem viis insistere cupientes, quo omnium gentium aequa studia feliciter componantur.

Pactio altera inter Iaponios et Gallos inita est de Indiis Sinensibus: facultas a Gallis conceditur ut Iaponiorum copiis appellere in Tonkini regionem liceat iuxta Sinenses fines, utque Iaponiorum stationes aëriae tres ibidem decernantur. Iaponii ex parte sua profitentur nullimode sese Gallorum iura inficiaturos; itaque Indo-Sinen-sis territorii integratatem et Galliae imperium sese culturos.

Recentissimi autem eventus fuere hinc Germanorum militum manus in Rumeniam missio, qui operam suam conferant ad novum Rumeniae exercitum instruendum, pariterque aéronavium, in petrolei fodinarum tutelam, ne scilicet a quovis pessimum dentur; Norvegorum regis honore suo spoliation a Germanis rata et a legatorum legibus ferendis Norvegorum coetu confirmata: cibivium rerum administratorum collegium suffectum, quod ante omnia partes omnes in re publica sustulit; denique colloquium ad Brenneri fines ab Hitlerio ac Mussolini habitum, atque Chamberleini, Anglici ministri a muneribus suis abdicatio, cui Ioannes Anderson, internae Anglicae securitati usque nunc praepositus, successit.

POPULICOLA.

FABULAE

TIMON MISANTHROPUS

Tam pervicax malorum saepe pravitas,
Ut quos velit iuvare absurde destruat.
Athenis quondam, publica in ecclesia,
In rostra ascendit quidam Timon nomine,
Quem nuncupabant vulgo omnes misanthropum.
« Certo mihi esse exilem nostis aream,
In qua fici arbor succrevit perutilis,
Plebi flabellum, avi esca, morti baiulus.
Hinc constat multos reste fuisse pendulos:
Brevi, hanc decrevi mox divellere arborem,
Mihi meisque ut extruam domunculam.
Vestrum si quis vult hoc mortis genus sequi
Festinet, quaequo, publico frui bono
Licet dum trunco adire Orcum fculneo ».

M. GINOTTA.

FUNEBRIA

Dum hic *Almae Romae* fasciculus sub praelo est, funestissimus nuntius affertur, IOACHIM ANTONELLI COSTAGGINI, laboris nostri socium dilectissimum, post diuturnum atque insanabilem morbum, quem animo, ut erat, forti et erecto, atque insigni, qua flagrabat, in Deum pietate sustinuit, in Sabino suburbano suo, quo abhinc circiter tres menses secesserat, fato concessisse.

Luctum uxoris dulcissimae, fratris sorisque familiariter participantes, sociorum lectorumque nostrorum litationes pro amico desideratissimo efflagitamus.

I. F.

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS


ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



VARIA

Viros principes et Rerumpublicarum gubernatores non debere beneficia, quae subditis praestare volunt, eo usque differre, donec videantur necessitate compulsi ea praestitisse.¹

Romanis feliciter successit liberalitas illa, quam plebi declararunt post regis Por-sennae adventum, qui Romam cum infesto exercitu venerat, ut Tarquinios reges resti-tueret. Tunc enim senatus metuens, ne plebs Romana metu perculsa, receptis in urbem regibus pacem cum servitute acci-peret, multa ei blandimenta dedit. Anno-nae imprimis habita cura, salis vendendi arbitrium, quod impenso pretio venibat in publicum, omni sumptu adempto, conces-sum; portoriis quoque et tributo plebe li-berata; pauperes enim satis stipendii pen-dere, si liberos suos Reipublicae educa-rent. Quae omnia in eum finem fecere, ut populus ad ferendi belli onera promptior esset. Sed hoc exemplum nemini ita censeo imitandum, ut beneficia illa, quibus conciliatur plebis animus, eo usque differan-tur, donec ea praestare coacti videantur; neque enim aliis tam feliciter succedet, ut hoc loco Romanis successit. Nam qui be-neficia a te in tanta necessitate acce-pe-rint, ii non tam tibi quam adversario tuo gratiam debere sese putabunt, metuentque ne, postquam ea necessitate liberatus fue-ris, quicquam amplius illis sis largiturus. Quod autem Romanis prospere succe-sserint tarda illa blandimenta plebi data causa manifesta est. Nova enim erat adhuc illa Reipublicae forma, nec dum confirmata, et senserat antea quoque populus leges qua-dam ferri, quibus auctoritatem suam au-geri censemebat: veluti erat lex de provoca-tione ad populum; atque ob has causas pu-

tabant a Senatu sibi haec beneficia con-ferri, non tam metu novi hostis, quam be-nevolentia, qua ipsos complectentur. Quibus hoc etiam accedebat, quod recens adhuc esset expulsorum regum memoria, a quibus multis iniuriis affecti fuissent. Sed rarum est, ut tot causas concurrentes et coadiuvantes quis in huiusmodi tardis be-neficiis habeat; quamobrem debent omnes magistratus et principes statim ab initio considerare tempora et casus, quos fortunae adversitas parare illis possit; et adver-sus illa ita se munire, ut cogitet quorum hominum opera iis temporibus opus sit habiturus, eosque sibi conciliare mature, et ita cum illis vivere, ut adveniente ne-cessitate promptos eos paratosque habeat. Nam qui magistratus et principes praeser-tim aliter agunt, existimantque, quum ne-cessitas venerit, se eos beneficiis sibi conciliare, quos longe prius offenderant, non modo fine suo frustrabuntur, sed ruinam interitumque suam accelerabunt.

Pro iudicibus mensarum elegantibus

ESCARUM ORDO:

*Iusculum Papiense.**Pisces varii frixi.**Solanum edule oryza fartum.**Cuniculus suaviter asper, venatorio more.**Pira uvae mulso condita.***Aenigmata**

I

Ostendo septem discrimina laeta colorum
meque movente procul pulsa sagitta volat.
Vocalem vertas! Vocor ultima linea rerum,
nec reddo terris, quod modo corripui.

II

Filum sum, quod acūs suevit penetrare foramen.
Sigma mihi inseritur? Ligna dolabra seco.

FR. PALATA.


Aenigmata in superiore fasciculo pro-posita his respondent: 1) *Anna, Cannae;*
2) *Fons, Frons.*

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine verit H. BINDI.*

Ann. XXVII

Romae, mense Novembri MCMXL

Fasc. XI



ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXL est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad IOSEPHUM FORNARI doct. Romam, Via di S. Maria dell'Anima, 39 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticananam, Città del Vaticano

MONITA

Socios et lectores omnes monitos volumus ALMAE ROMAE se-dem a *Via del Governo Vecchio, 96* ad viam *S. Maria dell'Anima, 39*, Romae, superioribus proximis die-bus fuisse translatam. Huc igitur in posterum, ac semper dris. Iosephi Fornari nomine, omnis generis scripta et pretium subnotationis di-rigenda erunt, ne cursu aberrent.

Sub anni autem exitum, eos qui nondum idem annuae subnotationis pretium — Italic. lib. 15 in Italia; 30 ex exteris nationibus — solve-runt, iterum iterumque rogamus ne ulteriore moram interponant, eo magis cogitantes quot sacrifi-cia tristibus hisce temporibus su-beunda nobis sint, ut in incoep-to persistere possimus.

A. R.

DE LATINO SERMONE APUD MEDIAE AETATIS SCRIPTORES

Clarissimus Wilmart O. S. B. sua quadam nuper in Ephemeride «Lateranum» di-sceptatione de prima Media aetate, ita suam mentem aperit. «... Nostris aequales de media aetate disceptantes naturali quodam instinctu moti, a priori opinantur illius aevi homines miseram vitam duxisse, si eam cum nostrae aetatis vita conferemus; ru-des enim illos homines, non multis libris gaudentes, vetustate atque inscitia defor-matos, aevum ab omni ingenuo cultu atque doctrina degisse». ¹ Quae mens ex uni-verso pene nostrorum doctorum hominum iudicio vires sumit, nam secus Humanistarum traditio, qua tam multi persuasum habent, Caroli Magni atque Othonorum aetatem omni cultu expertem, nullum scrip-torem habuisse qui cum Vergilio atque Livio conferri posset, nunquam tam longe lateque adhaesisset. Cuius rei causa a Claudio ad Petrarcham Humanistarum traditio saltu assurgit, nec pensi habet an his octo labentibus saeculis, artes florue-rint et quae floruerint.

Clarissimi E. K. Rand ² auctoritate

¹ *De vera pace contra Schisma Sedis Apostolicae (Lateranum - Ann. IV, num. 2, Romae 1938).*

² *Rivista di studi medioevali* (1939, vol. V).

fulti, iure meritoque contra hanc consuetudinem stamus eiusque verba usurpantes ita iudicamus. « Mediae Aetatis Vergilium non eum fuisse quem humanista clarissimus Comparetti iudicavit, Medium aetatem ita rudem, impolitam, tenebrosam de pingens, ut ipsa Vergilii imago fabulis risu dignis deformata exstiterit ». Bonis nisus argumentis clarissimus Rand ostendit Medium aetatem aliam equidem fuisse ab illa quam Humanistarum doctrina edidit docuitque.

In scholis rhetoricae doctrinae deputatis, nil prorsus traditur unde tyrones Claudianum et Augustinum possint cum Aligherio et cum Petrarcha connectere; octo circiter saeculorum spatio seiuncti, quinti et sexti saeculi scriptores a decimo secundo saeculo ita seiunguntur, ut novus ille ordo qui a renatis litteris vocatur, veluti magica virga tactus, exsurgere et flores dare videatur.

Tempus tandem adveniat, quo viri docti reputent se a recto itinere aberrasse, neque licitum esse tam copiosam messem ab Episcopis, ab utriusque sexus Abbatibus nobis traditam respueret et despiciui habere. Ipsi enim contra Barbaros undique irruentes steterunt et veteris sapientiae monumenta ab incendiis, a rapinis defendentes suis scriptis suaque voce, nos tardos nepotes docuerunt. Ipsi sunt qui Christi Sanctorumque gesta Vergilii verbis recitentes Evangelicum semen excoluerunt nobisque artis lenociniis ornatum tradiderunt. Illud tandem tempus adveniat, quod nos cum Paulo Diacono, cum Paulino Aquileensi et cum Nolano reliquaque eiusdem aevi scriptoribus, coniungat.

Ad rem Iosue Carducci nos docet, a Boetio ad Dantem saecula octo decurrisse nobis silentio obruta. Atque tamen si longe haud recesserimus ad dispersas voces colligendas, miraculum certe venerari nos posse, non vero rationes causasque intelligere; idque profecto veritatem « veram »

inquirentibus magnam animi demissionem constituere; aliis facilem viam ad iucundissimam circulatorium iactationem.³ Quae sapienter inlata obiurgatio, potissimum Seminariorum humanisticam traditionem spectat; in iis enim ab ecclesiastica auctoritate moderatis, liceret, immo bonum aequumque ius esset, Caroli Magni, Othonorumque christianos eloquentiae poëseosque flores delibare, ne tyronum manus iam explosa Horatii Ciceronisque tantum scripta versarent, velut si in iis tota esset latini sermonis ratio, nostrique immediati parentes Horatius et Cicero fuissent, non sapientes ac docti illi Pontifices et Abbates, qui Dioeceses et Coenobia vita doctrinaque exornarunt.

Neque Alcuini, neque Aeginardi, neque Ratramni, neque Rosvitae, neque Liutprandi aliorumque illius aetatis scriptorum opera nostri tyrones cognita habent, quum ii sint, a quibus directe atque immediate christiana vita moralis cultusque ad nos manavit. Sed non solum nostri tyrones eorum scripta ignorant, sed ne si fuerint quidem sciunt. Si exempli gratia, de Ratramno sermo fuerit, invicem sciscitantur non aliter quam de Carneade illo Manzionario: Quis hic fuit?

Ut hanc mendam removeamus duo sunt necessaria:

— De latino Mediae aetatis sermone brevi saltem historia edatur.

— Una cum historia hac, potiorum scriptorum specimina collecta vulgentur.

Tum nostri alumni novitate atque suavitate illecti, scriptores tanti ponderis diligere incipient, nec est dubitandum quin primo haustui secundus et sexcentesimus sequi possit, quin nova traditio, nova mens hac in litteraria republica efformari incipiet.

Obsoletum pulverem ab humeris excutiamus, considerantes aevum nostrum re-

³ L'Inno della Risurrezione di A. Manzoni... (Op. X, pagg. 212-13, Zanichelli, Bologna).

natum prorsus dedecere eam tabem in scholis permanere, quam Humanistae XV saeculi intulerunt. Ad Maiores nostros a quibus defecimus revertamur, eos non in Augusti, sed in Caroli Othonorumque aetate requirentes. Ii sunt qui cum Christo non cum Iove maiorum sapientiam componentes, barbarosque mores Evangelica suavitate emollientes, Christianum cultum Christianamque humanitatem tam turpiter ab illa quam renatam vocaverunt, labefactatam, fortiter et suaviter agentes, tandem ita conspicuam eduxerunt, ut ex ea demum Dantis Aligherii eloquentia, potissimum novae aetatis flos, egressus sit.

ALEXANDER AURELI.

MORTUORUM CULTUS

Maiores nostri quum recensendos in Deorum numero voluisserent eos, qui ex hac vita migrassent, partem eorum, quotquot virtutibus emicuere sublimibus, superis adscripterunt, partem autem, si qui fuissent vel mediocribus et vulgaribus, ut ita dicam, decori meritis, si qui sine laude aliqua et bene patratis obiissent, si qui sceleris turpes vivere desiissent nec aliquo facinore optimo labem praeteritam redemissent, ut ille malus, qui omnium pro salute civium supremum provocavit sibi fatum,

praeteritosque dies laudanda morte redemit,
inferis addicendos credebant, Manesque nuncupabant.

Inter Deos igitur utrosque iudicabant, Manesque passim, quadam latitudine legis verboque communi appellatos voluerunt, et ideo de omnibus vita functis praeclarilla illa XII Tabularum lex: « Deorum Manium iura sancta sunt ». Hinc funeralicia iura, iura sepulchri, inviolabilia, sancta, et Furiis devotus qui

sepulchra violasset, pacem requiemque mortuorum turbasset, devotus et addictus suppliciis.

De primis, ea satis fore credo, quae a M. Tullio Cicerone in somnio Scipionis traduntur, quasi ab ipso Africano Maiore Minoris Africano filio prolata:¹ « Sed quo sis, Africane, alacrior ad tutandam rem publicam, sic habeto. Omnibus, qui patriam conservarint, adiuvarint, auxerint, certum esse in caelo definitum locum: ubi beati aeo sempiterno fruantur. Nihil enim est illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia, coetusque hominum iure sociati, quae civitates appellantur; harum rectores et conservatores, hinc — (de caelo) — profecti, huc revertuntur... Immo ii vivunt, qui ex corporum vinculis, tamquam e carcere, evolaverunt... Nisi vero Deus is, cuius hoc templum est omne quod conspicis, istis te corporis custodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non potest. Homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, quae Terra dicitur; hisque animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quae sidera et stellas vocatis, quae globosae rotundae, divinis animatae mentibus, circos suos, orbisque conficiunt celeritate mirabili. Quare et tibi, Publi, et piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis, nec iniussu eius, a quo ille vobis est datum, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum, assignatum a Deo, defugisse videamini. Sed sic, Scipio, ut avus hic tuus, ut ego, qui te genui, iustitiam cole et pietatem, quae, quum sit magna in parentibus et propinquis, in patria maxima est; ea vita via est in caelum et in hunc coetum eorum, qui iam vixerunt, et, corpore laxati, illum incolunt locum, quem vides..., quem vos ut a Graiis accepistis, orbem lacteum nuncupatis ». Ne sim ni-

¹ Somnium Scipionis, § III.

mius, ista sufficient, nec alia huiusmodi ab aliis exquiram, quum in Cicerone uno tanta sit scientia ut, si illum legeris, omnes penitus legeris priscae antiquitatis optimos philosophos et scriptores.

Circa illos autem, qui mediocribus contenti meritis ita vixerunt, ut exiguum coientes virtutem nihil magni adstruxerint, quasi resides et palustres aves vallae et stagno contenti, illa Vergiliana sit satis memorare carmina, quae in VI Aeneidos libro continentur. Hisce quidem Elysia sunt data piis, qui magno quamvis sine facinore, aut ita egregio, quo superis se miscere potuissent, humiliores tamen coluere virtutes, nec sibi nec aliis nocuerunt, diis, parentibus, maioribusque obsequentes vixerunt, et quantum ferebat humana fragilitas, graviori culpa caruerunt. Sed hasce regiones poëta ingens, theologus et historicus una, locos appellat

Fortunatorum nemorum, sedesque beatas,
ubi largior aether, purpureumque lumen,
quibus sol proprius, et propria sidera. At ante Elysi variis exercebantur poenis,
veterumque malorum supplicia expendebant
et sive sub gurgite vasto infectum eluebant scelus, seu suspendebantur ad ventos, seu igne exurebantur; exinde, debitam adepti purgationem, per amplum mittebantur Elysium,

Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam ablueret labem, purumque referret
Aethereum sensum, atque aurai simplicis ignem.

Absit a me superaddere, quae Macrobius ad rem adduxerit in libro circa somnum Scipionis, itemque in Saturnalium libro, non uno, sive per Vergiliana recurrat vestigia, sive per philosophica sui temporis gradiat. Satis aperta sunt, patentque vel caecutientibus illa, quae retuli, et potius ad ea venio, quae iam ab exordio elucubrationis huius, qualiscumque ista fuerit, spectabam.

Manium cultus, sive caelestibus addito-

rum, sive per Elysiorum amoena ambulantum, sive aliquid admissum plus minusve leve expiantum, quo expiato, puris et undequaque fortunatis aggregarentur,² in ipso iure naturali est; nam iure, minoribus nobis in terra degentibus, illud venerandum videtur, quod diis proprius est immortalibus. Cultus pariter, quamvis pietati proximus, etiam illis debetur disciplina illa maiorum nostrorum, scilicet Manibus eorum, qui vita excesserunt etsi gravioribus imbuti sceleribus, poenis inenarrabilibus post obitum adstringendi. Pro vulture enim iecur immortale rostro tundenter, nihil aliud intelligi voluerunt quam tormenta conscientiae, obnixa flagitio, viscera, ut ita dicam, animae interiora rimatoris, et ipsa vitalia vitae indefessa admissi sceleris admonitione laniantis, semperque curas, angores, moeres, si requiescere forte tentaverint, excitantis, tamquam fibris renascentibus inhaerendo, nec ulla sibi miseratione parentis, lege hac, qua, se iudice, nemo nocens absolvitur, nec de se potest suam vitare sententiam, ideoque vermis eius, uti ait Scriptura, non moritur. Sed pietas quaedam erga maiores natu, etsi reos emergit, sed commiseratio quaedam emicat in nobis ex atrocitate, qua cruciantur dum agunt sine luce perpetuos dies, dum «in perpetuis tenebris noctes vigilantur amarae». Quidni? Hermagoras ille Platonicus saecula infinita dinumerans, quibus nocentum animae, in easdem poenas saepe revolutae, sero de Tartareis emergere permittuntur, eas ad naturae suaee principia, quod est caelum, tandem purgatione impetrata, remeare docebat; necesse enim est omnem animam ad originis suaee sedem reverti. Hinc quae virtutibus deditae corpus tamquam peregrinae incolunt, cito post corpus velut ad patriam ab exilio revertuntur; quae vero corporum illecebris veluti suis sedibus inhaerent, quanto ab illis violentius

² MACROB., *Somn. Scip.*, lib. I, c. X.

separantur, tanto serius ad supera regredientur.³ Propterea solemnia pacandis, et luendis Manibus Februa constituta sunt, iuvatque Ovidii nostri subiictere, quae ad nostram rem leguntur in *Fastis*:⁴

Februa Romani dixerat piamina Patres;

Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem...

Mensis ab his dictus; secta quia pelle Luperci

Omnes solum lustrant, idque piamen habent;

Aut quin placatis sunt tempora pura sepulchris,

Tunc cum ferales praeteriere dies.

Omne nefas, omnemque mali purgamina causam

Credebat nostri tollere posse senes.

Graecia principium moris fuit, illa nocentes

Impia lustratos ponere facta putat. ...

Ah nimium faciles, qui tristia crimina caedis

Fluminea tolli posse putatis aqua!

Quae quum ita fuissent, nam vel de pessimis maiores nostri non desperabant aliquando regressuris in caelum, a quo devios exsulesque diu se voluissent, lege illa communiter cautum pro Superis et Inferis Manibus est: « Deorum Manium iura sancta sunto! »

Verumtamen Christianae religionis est semper et fuit, quae vera rectaque, confirmare; quae fluxa, revocare; quae errata, emendare; quae falsa vel improba, repellere. Quando igitur de vita functis actum est, ipsa, quae bona et recta erant, ultro probavit, atque hinc Sanctis omnibus collective, quotquot in gloria sempiterna sunt, diem constituit recordationis illustris, quem plerique populares Apenninicolae nostri vocant Kal. Novembribus *Omnia Sancta*, iudicio meo, excellenti theologia usi; mox, qui sequitur dies, mortuorum suffragiis, piaminibus, Februis sacer est; et formidabili eadem Religio anathemate a defunctorum sepulchris profanum quemque arceret. De sempiternum damnatis nullam mentionem esse voluit, quia in inferno nulla est redemptio; commiserans tamen et pia, non maledicit.

H. P.

³ MACROB., *Ibid.*, lib. II, c. XVII.

⁴ Lib. II, 2.

Epistolare sociorum commercium

De studio latinitatis in gymnasiis

ANDREAS AVENARIUS IOSEPHO FERREIO multum colendo viro s. d.

Quaeris a me, o Ferreri, ut meam de stilo scriptorum posteriorum sententiam aperiam. Rem ita tractabo, ut prius de stilo dicam, deinde de legendis in gymnasiiis scriptoribus cadentis vel serae Latinitatis. Incertus unde loqui ordiar primum statuo multos errare in iudicanda elegantia Ciceronis, quem cum S. Augustino contendimus neminem praeterea ostendisse, qualis esset vis et elegantia Latinorum linguae. Non paucos invenias, qui Ciceronem, non suis studiis freti, sed repetentes dicta aliorum non magis quam ipsi expertorum, quod in quarundam orationum exordiis periodorum nitore et longitudine elegantiam loquendi et membrorum concinnitatem orationis Latinae exhibeat, tortum nimis clamitent, qui plus minus serio affirment id magis classicum in lingua Latina esse, id magis ad Ciceronianum genus accedere, quod magis sit tortum, structum, intricatum. Nunquam hoc illi dicerent, si legissem, si Ciceronem legisset. Ubinam invenias mihi materiam istius calumniae in narrationibus orationum Ciceronis, v. g. in itinere Milonis et apparatu istius itineris? Ubi tandem sunt illi obscuri circuitus in Ciceronis epistolis, in Tusculanis disputationibus, in tribus libris officiorum? Quam simplex, quam planus plerumque Ciceronianus sermo progreditur, quam semper rebus et tempori accommodatus! Et tamen hoc habet Cicero proprium, quod praeter eum nemo, vel admodum pauci, eandem rem iisdem fere usus verbis aeque eleganter, numerose, vel rhythmice dicat.

Sic ergo censeo: insanire eum, qui nihil vel ore vel manu proferre velit, nisi hoc reperiatur in aliquo libro Tullii, praesertim cum Tullius non scripserit de rebus omni-

bus, neque encyclopaediam condiderit, neque hodierna inventa noverit, neque abhoruerit a vocabulis fingendis, cum opus esset in tot philosophiae locis, quos ante eum Latinis verbis nemo attigisset, ineptire censeo et hominem esse nimis putidum, qui ita assuescere conetur uno Cicerone, ut unum velit hodie in loquendo et in scribendo imitari Ciceronem. Dico ego suum quemque assidua industria comparare debere colorem Latinum legendis operibus Latinis saeculorum omnium, profanis et sacris, classicis et non classicis, ad proprium elaborandum genus loquendi; a nullo unquam dico satis multum aut satis multa legi posse, singulos scriptores totidem flores esse dico, ex quibus nos sedularum exemplo apium mel sugamus sermonis nostri. Sed dubitas, o Ferreri, quin nos, quemadmodum ipsae apes ad eos flores saepius redeant in quibus suavius mel deprehenderint, sic nos eos scriptores saepius evolvamus, illis nos quam simillimos velimus, quos intellexerimus esse elegantes? Colore igitur obduci me cupiam ego maxime fideliae Ciceroniana, et eorum scriptorum, qui eiusdem coloris sint; ceteri scriptores, sperno neminem, me doceant primum multa vocabula et novorum vocabulorum quasi semina, deinde quo sermonis genere utendum sit in philosophia, in disciplinis theologicis, in disciplinis naturalibus, in physicis, in mathematica; nam volo me imbui ita lingua Latina, ut sciam hodie sermonem facere de rebus omnibus, quod frustra volo uni deditus Ciceroni.

Age, inquis, introducamus illos scriptores et qui est sermo eorum in scholas nostras! Non possumus, inquam, non possumus. Cogita paulisper quid facere debeas, si velis exteram aliquam addiscere linguam. Si ista lingua vivit, disce elementa grammaticae et trecenta vocabula, post te applica ad socios quibus ea materna sit lingua; brevi, imitatus infantes, auscultando, imitando, balbutiendo crescat lo-

quendi facultas. Si satis habeas intelligere quae ista lingua conscripta sint, eme grammaticam et bonum vocabularium, bene versa utrumque manu post annos duos, si mediocriter navaveris operam, et illa lingua non sit Sinensis vel Iaponica, scripta intelleges, exceptis locis difficilioribus.

Sed « usum » linguae sic non comparaveris; loqui disces legendo, scribendo, loquendo.

Qui ad studium accidunt linguae Latinae, qui linguam Latinam scientia et usu comparaturi sunt, non se possunt conferre in Latium, quia Latini cessaverunt Latine loqui. Ex libris ergo fere illa lingua pertenda est. Quid sibi proponit, qui operam est daturus cognitioni et arti tam pulcrae? Sibi, opinor, vult munire viam in stupendos illos thesauros, qui Latinis verbis consignati sunt in omnem posteritatem. Vult se idoneum ad hauriendum ex iis, quae principes Latinitatis condiderunt immortalia exemplis, quaerit clavem in opera Latina saeculorum omnium. Qua ingredietur via? Si nihil spectabit aliud, nisi hoc ut intellectu suo amplectatur quae hagiographi, quae philosophi et theologi scripserunt, diligenter se exerceat in grammatica inque discendis vocabulis, deinde se dedat legendis locis ex his et ex illis scriptoribus non aureae Latinitatis, sed ex Sanctorum Patrum operibus et omnibus, qui sermone nobis propinquiore sunt usi. Et tantum assequi velle videntur, qui hodie contracto tempore studii scriptores medii aevi et neolatinos in gymnasia introducunt. Qui tamen etiam antiquorum scriptorum specimena, sed pauca, legi praecipiunt.

Nunc te oro, qui ipse tot annis scholis praefueris graecis Latinisque: Censem' tu ullius scriptoris stilum in venas et sanguinem ulli discipulo esse transiturum, quamdiu ille unumquemque primoribus, ut aiunt, labris degustet et saepe ne prioribus quidem? Non recordaris quot hebdomadis fuerit nobis opus ad recte interpretandam

unam Ciceronis orationem pro lege Manilia? Vis discipulos hanc cognoscere unam? Nihil Catilinariarum orationum trades? Limatissimam illam pro Milone penitus omittes? Te et discipulos privabis occasione cognoscendi vim oratoriam summi Romanorum oratoris, quem imitati sunt quicumque postea vel ipsi magni oratores extiterunt, ut Bossueti, ut Segnerii, aut de rhetorica scripserunt? Neque satis est novis — si linguam Latinam vis cognoscere — duos vel tres Ciceronis orationes, nonnihil legendum est ex libris rhetorici eius, ex philosophicis, ex epistolis. Neque praeteriri debent libri Caesaris et Livii et summi illi Romanorum poetae, quibus se similes volebant, quicumque postea carmina Latina finixerunt.


O miseram conditionem studiorum Latinorum! Imminuitur tempus discendi, augetur legendorum auctorum numerus! Non dumne sentis, quod ego cerno oculis: degustatores illos et in « omni campo Latinitatis » messores cognitionem et usum linguae Latinae strangulasse in sua patria suffocasseque? Non sentis nullum illa degustatione et circumcursione comparari stylum Latinum, quem illi ne curant quidem, neque ornatum neque simplicem, ob eamque causam a nobis non degustari tantum neque circumcursari debere, sed inspici oportere et hauriri et imbibi; et quia tempus his studiis attributum est brevius, quam ut vel classica scripta, quantum sat sit, attingamus, ego censeo in gymnasiis nostris locum non esse nisi illis scriptoribus, quos classicos vel antiquos nominare suevimus.

Mihi crede, o Ferreri, nam sumus experti, magna res est et multi laboris illam comparare, quae ecclesiasticis viris praescribitur, scientiam linguae Latinae et usum. Qui truncatae humanitatis hodie frequentant gymnasia, etsi praestanti sint ingenio, tamen tot aliis rebus misere eorum onerantur et ecferciuntur cerebra, adeo huc

illuc coguntur intendere animum et corpus, ut illum Latinum laborem ne possint quidem suspicere. Illis vero temporis spatiis, quae adhuc conceduntur scholis Latinis in his gymnasiis, vix contenti esse possumus ad explicandam et exercendam grammaticam eius linguae. Satis est acerbum recordari soloeca scriptorum post iteratas atque exemplis illustratas regularum explanationes.

Mea sententia, ut aliquando ad finem veniam, haec est: scientiam et usum, hoc est aliquod quamvis simplex Latine scribendi et loquendi genus eum tantum assequi, qui per annos gymnasii sui assidue exerceatur grammatica, hoc est exemplis regularum petitis non modo ex apothecis omnis generis scriptorum, sed etiam factis de rebus hodiernis maxime cotidianis, itaque lepidis, ut quam facilime figantur in memoria, quemadmodum factum vides in Capellani editione decima, ubi recentissima loquitur, assidua scriptione non tam quid fecerit Socrates aut Xenophon, et quae gesserint Romani, sed quid ipsi discipuli gerant, quid tendant, quid cordi sit, quid nunc geratur in mundo, et lectione classicorum, sic tamen, ut crebra in illis messis grammatica fiat, ut ad regulas revoetur haec vel illa scriptoris pagina ibi servatas. Hac illi alumni Latinitatis industria non usum assecuti eius linguae ad maiora studia procedent, sed tamen viam stravent, qua in eam provinciam tuto progrediuntur. Nam post annos gymnasii per annos philosophiae et theologiae assidue in manu habebunt aliquem librum scriptoris vel classici, vel alicuius ex Patribus, vel mediae aetatis auctoris, vel quae neolatini condiderunt non raro elegantia scripta, et in suis scriptionibus et sermonibus uti discant vocabulis iisdem et formis, salvis grammaticae legibus.

Vides mea sententia non excludi vel prohiberi auctores ecclesiasticos et aetate aurea posteriores, sed non admitti in scholas



gymnasi, quod ego videam sciolos illos
hodiernorum gymnasiorum degustatores
neque scientiam neque usum tenere lin-
guae Latinae, neque scribere audere La-
tine, neque loqui. Vale.

Roma, Idibus Sextilibus.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

De possessivis « sui, tui, etc. » substan- tive positis.

Possessivum « *sui* » saepenumero sub-
stantive ponitur. Item *tui, nostri*.

EXEMPLA: Ab hoc spectaculo legati di-
missi deterruerunt *suos* (concives) ab auxilio
circumsessae urbi ferendo (TIT. LIV.,
XL, 47) — Qui non defendit iniuriam ne-
que propulsat a *suis*, quum potest, iniuste
facit (CIC.) — Darius, quum vinci *suos*
videret, mori voluit et ipse (IUST.) — In-
feriores dolere non debent se aut fortuna
aut dignitate a *suis* superari (CIC.) —
Quem alienum fidelem invenies, si *tuis* ho-
stis fueris? (SEN.) — Regum exitus si re-
putaveris, plures a *suis* quam ab hoste in-
teremptos numerabis (Q. CURT.) — Tum
primum *nostri* Cacum videre timentem
(VERG.) — *Nostri*, tametsi a duce et a
fortuna deserebantur, tamen omnem spem
salutis in virtute ponebant (CAES.) —
Quamvis sine mente, sine sensu sis, ut
es, tamen te et *tuos* nosti (CIC.) — Datis,
etsi non aequum locum videbat *suis*, ta-
men fretus numero copiarum suarum, con-
fligere cupiebat (CORN. NEP.) — Nulla
nostris facultas aut administrandi aut auxi-
liandi dabatur (CAES.) — Orationem lati-
nam profecto legendis *nostris* efficies ple-
niorem (CIC., Off., I, 1) — Me in eam
necessitatem adduxisti, ut aut reipublicae
mihi, aut mei *meorumque* obliviscendum
sit (TIT. LIV., VIII, 7) — Erant et virtute

¹ Cfr. fasc. sup.

et numero pugnando pares *nostri* (CAES.,
Bel. Gal., V, 34) — Pompeius, *suorum*
omnium hortatu, statuerat proelio decer-
tare (CAES., Bel. civ., III, 86).

« Nemo » pro « nullus »

« *Nemo* » saepe adiectivi instar usur-
patur pro « *nullus* »; imo usurpari debet
cum adiectivis et pronominibus substantive
sumptis.

EXEMPLA: Saepe soleo audire Roscium,
quum ita dicat, se adhuc reperire *disci-*
pulum, quem quidem probaret, potuisse *ne-*
ninem (CIC.) — Pyrrhus primos elepha-
tos in Italiam adduxit, quas beluas *nemo*
antea *Romanus* viderat (CIC.) — *Neminem*
esse *oratorem* paulo illustriorem arbitror
(CIC., De or., II, 28, 122) — Quod si
locus Miloni datus esset, probasset profe-
cto tibi ipsi *neminem* unquam *hominem*
homini cariorem fuisse quam te sibi (CIC.,
Mil., 25, 68) — *Nemo* prudens homo —
Nemo prudens punit quia peccatum est,
sed ne peccetur (SEN., Ir., I, 16) — Post
eum consulem, *nemo* Cornelius illo vivo
censor fuit (CIC., Att., VI, 1) — *Nemo*
malus felix (IUV.) — *Nemo* civis adeo
emineat ut legibus interrogari non possit
(TIT. LIV.) Ego *hominem* callidorem *ne-*
ninem vidi quam Phormionem (TER.) —
Nemo aut *miles* aut *eques* ad Pompeium
transierat (TIT. LIV., XLII, 6) — *Nemo*
civis — *Nemo* *hostis* — Avaritia pecu-
niae studium habet, quam *nemo* *sapiens*
concupivit (SALL., Cat., 11) — Libertatem
nemo *bonus* nisi cum anima simul amittit
(SALL., Cat., 33).

De litote

Litote non solum cum verbis, sed etiam
cum aliis orationis partibus usu venit.

EXEMPLA: Est dictum *non parum* (= sa-
tis) saepe (CIC., Fin., II, 4, 12) — *Non*
magnopere labore (CIC., Rosc. Com.,
15, 43) — *Neque enim defuit* qui diver-
sam quoque partem susciperet (TAC.) —

Ut leges omnium salutem singulorum sa-
luti anteponunt, sic vir bonus et sapiens
et legibus parens et civilis officii *non igna-*
rurus utilitati omnium plus quam unius ali-
cuius aut suae consultit (CIC.) — Poma-
que *non notis* legit ab arboribus (TIB.) —
Nos quemadmodum instructos et quibus
praesidiis munitos miseritis, *non estis ignari* (CIC.) — Macedones Eumenem sibi
aliquando anteponi indigne ferebant, *ne-*
que tamen non patiebantur (CORN. NEP.) —
Atticus neque laedebat quemquam, *ne-*
que, si quam acceperat iniuriam, *non ma-*
lebat oblivisci quam ulcisci (CORN. NEP.) —
Nimirum *non iniuria*, quum ad gubernacula
rei publicae temerari atque audaces
homines accesserant, maxima ac miseria
naufragia fiebant (CIC.) — *Nullus* loc-
cus in ea *non religionum deorumque* est
plenus (TIT. LIV.) — *Negari* *non potest*
multis saeculis verax fuisse id oraculum
(CIC.) — *Non sum inscius esse utilitatem*
in historia, non modo voluptatem (CIC.) —
Non eram nescius fore ut hic noster
labor in varias reprehensiones incurret
(CIC.) — Barbaris consilium *non defuit*
(CAES., Bel. gal., V, 34).

De usu indicativi

Indicativus usurpatur post pronomina et
adverbia indefinita.

EXEMPLA: *Quocumque* me *verti*, argu-
menta senectutis meae video (SEN.) —
Cura ut valeas litterasque ad me mittas
quotiescumque *habebis* cui des (CIC.) —
Quocumque *ire placet*, ferro iter aperi-
endum est (SALL.) — *Quaecumque* *audierat*
aut *viderat* Themistocles, haerebant animo
(CIC.) — Milvus corvi, *ubicumque* *nactus*
est, ova frangit (PLIN.) — Egredere, o
quicunque *es* (VERG.) — Bonis nocet,
quisquis *pepercit* malis (PUB. SYR.) —
Quidquid dicunt, laudo (TER.) — Hoc non
recuso; tibi ago etiam gratias, *quoquo* ani-
mo *facis* (CIC.) — *Quocumque* *aspicio*,
nihil est nisi mortis *imago* (Ov.) — *Quo-*
cumque Hannibal iter *fecit*, cum incolis
conflixit (TIT. LIV.) — Qui virtutem ade-
pus erit, *ubicumque* *erit* gentium, a nobis
diligetur (CIC.) — Paretur librorum quan-
tum satis sit, nihil in apparatum. Sed apud
desidiosissimos videbis *quidquid* orationum
historiarumque *est* (SEN.) — Iter est *qua-*
cumque *dat* prior vestigium (PUB. SYR.) —
Regis Deiotari et voluntatem et copias,
quantaecumque *sunt*, nostras esse duco
(CIC., Fam., XV, 1).

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

HORAE SUBSECIVAE

Ad discipulos novum scholarum annum ineuntes

O iuvenes, adhibete animos linguisque favete,
Et quae grata meos oculos nunc mulcet *imago*,
Discite, et arrectae penitus committite menti.
Egregium video iuvenem, quem gratia vultus
Ornat compositusque gradus cultusque decorus.
Ille nihil puerile, nihil molitur inepte,
Sed sequitur, quae recta iuvent, oditque fugitque
Omnia, queis aetas improvida ludificatur.
Cernite ut assuetas humili pronusque per horas
Rite Deum Superosque colat, lumenque precretur,
Quod commonstret iter per tot discrimina vitae.
Mox animum exercet studiis et rebus honestis
Utilium solers provisor tempore laeto,
Ne frustra doleat cum pigra advenerit aetas.
Quam cupidus docilisque parentum pendet ab ore
Doctorum hominum, dictis qui pectora forment!
Non illum sperent comitem, qui multa dicaces
Effutire solent iuvenes, risusque solutos
Captare. En miror raro et perpaucia loquentem,
Quae sint digna viro, quae sancto plena pudore.
Sed ne insuavem, nec nimium tu crede severum;
Est modus in rebus, contentaque limine virtus
Stat medio. Ille venit caris concinnus amicis,
Quos puros optat, fido quos foedere servat;
Atque una interdum, deponens seria, ludis
Indulget modicis, ut mens recreata valescat.
Visa solet velare, solet commissa tacere,
Inter et offensos lites componere amicos.
Sordidus atque tenax non est, non prodigus aeris;
Et nihil orditur, quod mox mutare laboret.

*Sic dum succrescit primaevō flore iuventa,
Ubiore simul fructū sapientia crescit,
Et res, fama, valetudo contingit abunde.
Proposita est vobis iuvenis prudentis imago:
Haec placeat, vestrisque animis haec saepe re-*
[curret.]

A. B.

QUORUNDAM ANIMALIUM VIAE, PUGNAE, INSTINCTUS¹

Nunc ut finem, prout spatia ferunt acerba, scripto componam, aliquid addam de instinctu illo miribili, quo animalia se suosque tuentur, atque illa praesertim, quae minus ad bella et praelia parata vi-deantur.

Ecquis enim credit esse Martis et vim et animos columbis humanissimis, quibus non modo in accipitres, in milvios pugnam ineant, sed felici praelio victores exstant, et immisericordes, incruenta quidem sed indeprecabili, neque minus tamen horrenda, nece mulcent latronem sanguinolentum et execrabilem?

Rem ita conficiunt. Vix columbis innocuit milvium, accipitrem, et siquid huius est generis, ter quaterque grassari, ubi illae versentur, et caedem filii carissimis comparasse, hic illic in foraminibus rupium altissimarum, ad arborum procerissimarum truncos quo melius possunt modo abdut se, delitescunt, occultantur, acutissimo quo pollent visu longius aërem scrutantes. Ubi hostem viderunt prope habitacula sua inferius ambientem, simul omnes prodeunt e latebris, et agmine facto, consertae super latronem ita ingruunt, ut necesse illi sit, si uti alis velit, propius terrae volare. Qui, impatiens dominium imbellium, non stare, non morari, sed abire in liberum et apertum. Frustra. Cohors aeterna super terga impendebit, quam

¹ Cfr. fasc. sup.

ipse non unguibus, non rostro valet diffin-dere. Nulla ad cibum capessendum quies, ad bibendum nulla inimico, dum interea illae, manipulis e grege dimissis, per orbem pascuntur. Sic ille aut fessus ad mortem necabitur, aut, idque saepius, immo plerumque, in flumen aliquod, in mare, in lacum compellitur, prementibus desuper omnibus, admittentibus, neque linquentibus, nisi prius viderint et calcaverint apertis alis inutilia super aquis mortiferis conantem, et in profunda miserrime descendenter.

At si qua sit inter animal et animal pro-portio, tunc pugna, tunc praelium aliquid ex epico induit, et vel Homericu dignum carmine videtur. Exemplum afferam.

Glandibus et castaneis vescuntur maialium greges ad Apenninorum radices. Martii lupi apenninicola, tum premente fri-gore et pellente nive, tum adigente fame, ex nivoso et nimboso cacumine ad inferiora montosae domus descendere solent, sibi, suadentibus esurie et rabie illa inexplebili, suinos facile patere greges put-tantes. At vix odor vento innotescit, aut suspicio inimici aliqua signo ingruit, aut, quod facilius est, aliquis e suis respexerit, ineffabilem grunnitum primus emitit, et fuga salutem, si solus, petit; si plures, terga ad tergum constituunt, et, classicum grunnitu canentes, impetum luporum ex-spectant. Interea silva omnis resonare vocibus illis suinis, quae nescio quid prae-ferunt inter iram et dolorem, et eodem tempore undequaque concursus ad locum. Arbuta, vepres, quodcumque patet furiantibus porcis, atque ruentibus, praecipi cursu anhelantibus ferociter, et spumas mandentibus. Momento temporis lupinus manipulus includitur denso circulo suum, qui circulus in momenta arctior fit; nam, qui minores viribus ac dentibus, rostrum a facie luporum digredientes retro ferunt, et quasi alterum orbem conficiunt post principes, quibus laniena commissa est;

id enim eo tendit, ut sensim rostra por-corum luporum membra contingant. Suina buccina clangit interdum sine mora, et novi bellatores iugiter adventant. Seu ter-rore, seu salutis instinctu fiat, lupus et lupi saltum moliuntur, quo integra cingen-tium corpora maialium tranent. Hoc lanienae initium; nam vel principes vel triarii corpora volitantia saltu dentibus et rostro arripientes in oppositos porcos vi magna repellunt, hi in alios, et alii in primos, dum lupino sanguine rubent rostra maialium, dum volitant exta e dissesto luporum ventre per aërem, dum tota tellus sanguine redundat. Neque horribilis cessat ludus huiusmodi, qui cum lusu pilorum apud nos commune aliquid habet, nisi prius non lupi, non lupus, sed disiecta ac propemodum comminuta membra occu-pent aërem; aërem composito dicam, quia nunquam terram attingere fas est, solummodo horrentia et hiantia rostra porcorum. Quum autem hisce compertum sit non esse amplius in ludo lupos, sed quaedam avulsa capita, quosdam armos, et osseas crates, tunc circumspicientes cauti terram scrutantur naribus, et reliquias illas, si quid adhuc vitae supersit in iis, novo exagitant ludo, donec penitus contritum quid sibi videantur.

Haec autem satis habeantur. Nos, qui testes olim fuimus, alia eaque pluribus ignota de hac re alias fortasse constitue-mus.

M. L.

DE RUSTICATIONE

Temporis opportunitas monet ut post-quam de balneis diximus,¹ aliiquid de ru-sticatione scribam.

Rusticandi morem in necessitate positum olim fuisse credimus; nam si vetustissimas

¹ Cfr. fasc. mens. Iulii.

quaeramus aetas, quod camporum aperta et patentia erant, hieme optime incolenda et colenda, haec, solis aestu superveniente, insalubria fiebant exhalatione segnium aquarum, quae languores, febres, perni-ciesque gignebant deficientibus rivulis, quibus antea fluebant. Hinc, experientia monente colonos, tentoriola in collium editiora a vallibus copta sunt ferri, ut ven-tilarentur zephyris, certa ante meridiem et post meridiem lege recurrentibus, refi-cerentur vitali aëre, morborum pestes a corporibus arcerentur. Mox ubi gentes a sparsis casis in oppida, in vicis, in urbes constituendas convenere, ut sese a belluis, a latronibus mutuo tuerentur auxilio, fa-citum est ut, qui potiores essent ingenio, viribus, auctoritate, gratia, rei summam publicae administrandam suscepissent; qua quum toto ferme anno intra moenia distin-rentur (servis, famulis, liberisque suis co-lendorum concredata curā camporum), mes-sium colligendarum in tempore paterfamilias optimum duceret illic se esse, ne vel incuria, vel male fida manu suorum, quae tot laboribus anno integro quaesita fuerant, brevi dierum spatio disperderentur, et pessum irent, vel potius, mitterentur.

Conspirantibus igitur una necessitatibus utilitatis campestris et requiei humanae ab urbanis negotiis; tum coniurantibus et suadentibus delectatione agrestium occupa-tionum, quibus paterfamilias iuventutem exercuerat suam; pulmonibus aura delicio-siore; laetitia obstrepente circumgestientis familiae ex frugibus, quae comportarentur in horrea, certum alimentum hieme datura, aversura squallidam famem, tristem ino-piam; ciborum suavitate recentiorum, quos hortus, venatio, pomiferae arbores, quas ipse, ipse, inquam, pater quum adolescen-tia virebat, sua manu plantaverat, sene-scenti, ita quippe sibi speraverat, fructum suavissimum allaturas; suburbana, sive proprius sive longius essent, frequentari, coli cooperunt aestate integra et primis au-

tumni diebus, quibus vindemiae fierent, nubes, mala, pyra, sorba, durabilioris uvae racemi in carnario, in horreo congregantur. Adde matremfamilias rerum copia gaudentem, lanam et cannabim inter famulas et villicas dividentem ut fusis hieme exercerent manus lintea et vestes sibi et reliquis paraturas, adde — maternum tacitae dum tentant gaudia pectus — non oculis contemplantem servos et famulas liberis herilibus liberrime cursitantibus, et exsultantibus pedagogi supercilio liberatis blandientes certatim; adde frequentia inter vicinos convivia mactatis pinguioribus ovi bus, quae vel ad festos hosce saginabantur dies, vel desuetae foetui coquinis destinabantur; et quoniam matrisfamiliae gaudium aliquid habet, quod per universam domum, fato quo nescio, certo tamen, effunditur, summam habes causarum, quibus rusticatio primum necessitate suborta, mox utilitate ac delectatione patriarchali frequentior fuit. Hinc et bonus nobis Horatius, negotia immensae urbis et rumores exosus, pulchre sibi canebat:

*O rus, quando ego te aspiciam, quandoque li-
[cebit,
Nunc veterum libris, nunc somno et inertibus
[horis,
Ducere sollicitae iucunda oblia vita?*

Quae omnia ex libris eius fide magna scimus illum servasse quoties apud vernas suos ad radices Lucretialis vitam agere posset, quo ab rure scribebat amico de se :

*post fanum putre Vacunae.....,
Me quoque nunc reficit gelidis Digenzia rivis,
Quem Mandela bibt, rugosus frigore pagus.*

Tunc mero, non fumoso Falerni et cerebroso, sed Sabino mitiori, ut ipse :

*Vile potabis modicis Sabinum,
intra temperantiam tamen — modicis cym-
biis — indulgebat; tunc genio se se totum credebat Apollineo; et mihi quidem rusticans in Sabinis Horatius gravior et iucun-*

dior est Horatio in Tiburtinis urbem olen- tibus rusticante. Ecur? Quia scilicet au- ream priscorum temporum mediocritatem et simplicitatem instaurabat, illi similem, qua paterfamilias lento in umbra... — o mihi Vergili carmen hoc adsis! —

*Ipse dies agitat, festos, fususque per herbam,
Ignis ubi in medio et socii cratera coronant,
Te libans, Lenaee, vocat....
Hanc olim veteres vitam coluere Sabini,
Hanc Remus et frater; sic fortis Etruria crevit,
Scilicet, et rerum facta est pulcherrima Roma.
Septemque una sibi muro circumdedit arces.
Ante etiam sceptrum Dictaei regis, et ante
Impia quam caesis gens est epulata iuvencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.*

Mox, ubi opes accessere, rusticationibus addita commoda, iucundiores exstructae; atque, ubi divitiae increvere praedis, quae e victis victores domum retulerant, amplificata servis, ornata manubiis, tabulis, si- gnis marmoreis et aeneis, bibliothecis, thermis rura fuerunt, villaque appellata, et illa surrexere portenta, quae sibi Lucullus Lucrinis ostreis celebrata, pavonibus Hortensius, gallinis albis Livia fecerunt; tunc Tusculanas delicias Cicero habuit, habuere Tiburtinas Tulliana gens, et Cassia, et sexenti ubique terrarum. Quae de suis Laurentinis Plinius, quae de Comensibus, de Pompeianis, de Tusculanis, de Sublacensibus, de Vetianis ad Sambuculum prope Empulum, et iuxta, de Aniciannis, de Pisonianis, de Marianis, de Papianis ad Anienem, de Varianis, de Quintilianis, de Metellianis sentiendum sit non ego, sed rudera doceant, doceant tot simula- la reperta, doceant musiva opera omni arte polita, doceant columnae, capitella, coronamenta, doceat pretiosissimorum vis amplissima marmorium ibi effossa, et quae effodiuntur quotidie, ita ut Roma mihi tunc videatur exstisse in immenso viridario, tale quippe tota ferme Italia facta erat, quasi gemma coruscans.

Atqui ubi a privatis Croesis res ad Au-

gustos delata est, illa condita sunt, quae in Baianis, quae in Simbruiniis, quae in Nemorensibus, quae in Tiburtinis, quae in Arcinatio Caesares constituerunt Hadrianaea, Claudiana, Neroniana fidem exsuperantia aurum, at fidem iubentia oculorum. Venientibus autem barbaris non vincendi, non dominandi, non praedandi cupiditate, sed rabie vastationis et subversionis imbu- tis, omnia incensa, diruta, fracta, eversa lacrimabili ruina sunt, et quae Persarum et Chaldaeorum hoc in genere magnificen- tiam superabant, aeternum prostrata, vepribus, dumisque super germinantibus late, inter extintos carbones, humidosque cineres iacerunt.

At italicis rebus pace opitulante, a decimosexto ad XVIII saeculum rursus ex- truendarum villarum amor viros pecuniosos occupat, patritis arripit, nec ab ipsis abstinet regibus. Ita porro Burgesianum rus et Pamphilium, et Albanum, et Columnense, et Matthaeum in Urbe, aut ad Urbem; ita Iulii II extra Flaminiam portam operibus architecturae, sculpturae, picturae praestantissimis inclaruerent, et Farnesium deliciae in Caprarolensi, et Gambiariorum in Viterbiensi, et Astallenses ad Sambucum, et Publicolanae — Sanctacru- cianae — ad Saxulam in Empolitano, et Gericomienses, et Estenses in Tiburtinis apicem attigere profusis divitiis, profusis Musarum omnium portentis, quibus nec priscis, nec Versaillensis, nec Escurialensis, nec Saticulanis, (Casertenses ho- die dicuntur), aliiquid invidere iudicatae sunt. Suas habuere et Pontifices in Vati- canis hortis, in Quirinali colle ad Pontifi- cias aedes, Xysto et Paulo curantibus; at haec, quamquam iucundissimae visu et saluberrimae loco, tamen graviores loci sanctitate et auctoritate fuere rusticantium, quos et salus, et quae decerent iuvabant, licentia opifcum et interdum procacitas, et voluptuosa vitae ratio minime prorsus de- cebant.

P. d. V.

ANNALES


Europaeum discrimen

Bellum a Germania atque Italia in Angliam superiore quoque mense in aëre, terra marique perductum est: Germani die noctuque indesinenter ignivomis globis non Londinum tantum urbem caput, sed plura alia Britanniae loca emporiis, munimentis bellicis et commerciis insignia, presumderunt; Angli vicissim eadem aggressi sunt in Germania; non semper tamen Berolinum attingere valuerunt, et furorem suum in miseram inermemque Bataviam effuderunt; Itali denique per Aegypti fines post Solumnum, Sidi-el Barrani occuparunt, ad Marsa Matruh tendentes, et in nonnullis cum Anglicis classe conflictionibus huic non levia damna intulerunt.

Sed, ut monuit Ribbentropus, Germanorum administer ex Italia redux, «axis» in Angliam actio non militaribus terminis tantum continetur, sed et catis de civili ratione consiliis ultra geritur.

Re quidem vera, tripartitum foedus proximis hisce diebus per annos decem sanctum est inter Germaniam, Italiam et Iaponiam, quo Iaponia fatetur sese officio non obstituram, imo sequuturam, a Germania et Italia sibi sumptum novum in Europa ordinem constituendi; hae autem nationes paria Iaponiae dependent, ut novum in maiore Orientali Asia statum ponat atque moderetur. Praeterea partes auxiliu sese invicem praestituras promittunt rationibus omnibus, civilibus nempe, economicis militaribusque si in earum unam vel alteram impetus fiat a natione quavis in praesentia tum a bello Europaeo tum a Iaponico-Sinensi discrimine aliena: artium et singularium doctrinarum peritorum ex utraque parte delectorum concilium quam primum congregabitur ad rationes, quibus foedus ad effectum facilius adduci possit, definiendas. Cuius foederis in paeloquo

— Si quod malum vel domi in Republica vel adversus Rempublicam foris vehementer actum sit, satius esse id ferre aliquandiu, quam in id eniti ut violenter extirpetur. Id. fasc. X	PAG.
— Viros principes et Rerumpublicarum gubernatores non debere beneficia quae subditis praestare volunt, eo usque differre, donec videantur necessitate compulsi ea praestitisse. Id. fasc. XI	
— Dictature imperium Populo Romano utile atque salutare fuisse. Id. fasc. XII	
Cfr. etiam <i>Ars, Funebris, Selecta ex bibliothecis et archivis</i>	
Libera a pittacis responsa	38
Librorum recensio 62, 72, 85, 99, 110	
Litterae et Philologia	
De latini sermonis notis singularibus (<i>I. Jss.</i>):	
— De coniunctione quae plura verba regit	8
— De adiectivo numerali subauditio.	9
— De constructione praedicati.	9
— De verbo a quo pendet coniunctivus simul et infinitus.	18
— Verba quaestionis « unde » pro verbis questionis « quo »	19
— Dativus pro genitivo	29
— Coniunctivus pro indicativo	29
— Participium pro praepositione.	30
— Voces interrogativae ad exclamandum usitatae	30
— Adiectivum pro substantivo.	31
— Substantivum pro adiectivo.	40
— Propositio adiuncta pro participio aut gerundio	41
— De substantiis in « tor »	54
— De propositionibus iuxta ponendis	55
— De propositione « finali »	55
— De tempore verbi propositionis consequitiae.	66
— De propositionibus superadditis	67
— De adverbio superaddito.	67
— De singulari pro plurali.	67
— Quomodo reddatur negativum cum coniunctione « et ».	78
— Hendiadis	78
— Adiectiva a pronomine neutro pendent	95
— De substantivo quod ab altero substantivo pendet	95
— De genitivo pro altero casu	96
— Substantivum pro adiectivo.	96
— Genitivus et ablativus qualitatis	105
— De genitivis « nostrum, vestrum, nostri, vestri, etc. »	105
— De ablativis qui a comparativo pendent	106
— Quod tempus usurpari debeat.	106
— De possessivis « sui, tui, etc. » substantive positis	118
— « Nemo » pro « nullus »	118
— De litote	118
— De usu indicativi	119
De participio neutro absolute positio	126
De sensu quarundam coniunctionum	PAG.
Quid his temporibus vitandum sit latine scribentibus (<i>Fr. Palata</i>)	127
Vincentius Tarozzi latinarum litterarum ac pietatis cultor eximius (<i>I. de C.</i>)	26
Ethnicorum Christianorumque scriptorum quae orationis elegancia et perspicuitas fuerint (<i>A. Aureli</i>)	63
De Iosepho Balestro coptologo atque biblista clarissimo (<i>I. B. Bellissima</i>).	87
De Ethnicorum et Christianorum hymnis in sacris solemnibus canendis (<i>A. Aureli</i>)	91
De Latino sermone apud mediae aetatis scriptores (<i>A. Aureli</i>)	101
Cfr. quoque <i>Epistolarum commercium atque Selecta ex bibliothecis et archivis</i>	111
Medicæ notaæ	
« Serotherapy » apud Veteres (<i>G. P.</i>)	59
De balneis (<i>P. d. V.</i>)	80
Cfr. quoque <i>Selecta ex bibliothecis et archivis</i> .	
Roma sacra	
SS. D. N. Pii PP. XII litterae encycliche ad Patriarchas, Primate, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentibus	11, 22
Homilia a SS. D. N. Pio PP. XII inter Missarum solemnia in templo Vaticano dicta die Christi anastasi sacra huius anni MCMXL	45
Selecta ex bibliothecis et archivis	
Epistulae duorum regum famosissimae (<i>H. Lis</i>).	56
Selecta Petri Royzii Maurei epigramma (<i>H. Lis</i>)	106
Anatomica humani corporis synopsis (<i>I. M. Lancisi</i>)	134
Sententiae 6, 8, 9, 33, 52, 59, 61, 68, 83, 109, 128, 130	
Vacui temporis hora	
Pro iudicibus mensarum elegantibus escarum ordo. In II operculi pag. fascic. I, II, III, IV, V, VI, VII, VIII, IX, X, XI	
Iocosa (<i>I. F.</i>). Id. fasc. I, II, III, IV, VI, VII, VIII-IX, X, XII.	
Aenigmata (<i>F. Palata</i>). Id. fasc. II, III, IV, V, VI, VII, VIII-IX, X, XI, XII.	
Varia	
Quantum homo annorum completere potest? (<i>H. Lis</i>)	20
Paschalia (<i>P. d. V.</i>)	31
De humanae vitae longinquitate (<i>H. P.</i>) . .	69
De statura hominis (<i>H. P.</i>)	97
Quorundam animalium viae, pugnae, instinctus (<i>M. L.</i>)	107, 120
De rusticatione (<i>P. d. V.</i>)	121
De Italorum metallorum recenti spectaculo (<i>M. Gianoglio</i>)	131



VARIA

Dictatura imperium Populo Romano utile atque salutare fuisse.¹

Exstitere quidam scriptores qui reprehenderent populum Romanum ob introductam creandi Dictatoris rationem: existimarent enim ex ea successu temporis ortam esse tyrannidem; et primum eorum, qui urbis imperium sibi vindicavit, sub Dictatoris nomine imperasse, nec potuisse C. Caesarem, si Dictatura nomen non exstisset, ullo honesto titulo tyrannidem occultare. Sed id ab illis minus prudenter dictum censeo; neque enim Dictatura urbem servituti obnoxiam fecit; sed auctoritas illa, quam Caesar diuturno imperio sibi apud cives conciliaverat, et si Dictatoris nomen defuisset, aliud aliquod inveniri facile licuisset, quum non ex nomine potentia, sed ex potentia nomen facile concilietur et inveniatur. Dictatura quandiu ex praescripto legum usurpata fuit nec eam quis propria potentia sibi assumpsit, semper Reipublicae profuit; nam qui Magistratus praeter legum praescripta occupantur, ii solent esse perniciosi; non autem qui secundum leges hominibus conferuntur; idque experientia ipsa Romae comprobavit, in qua urbe Dictatores tanto temporis spatio nil unquam nocuerunt. Sed neque rationes desunt. Primum enim eis, qui dictatura titulo imperium invadere voluerint in urbe libera, in qua mores hominum nondum corrupti essent, ingentibus opibus opus fuisse, et quamplurimis clientelis et qui consilii essent participes; quae in libera civitate nemini simul omnia contingunt, quamdui leges observantur. Praeterea non creabatur Dictator nisi urgente aliqua necessitate, neque durabat eius magistratus diutius quam eo usque donec eam rem confecisset, propter quam dictus fuisse. In qua conficienda potestatem habebat absolutam atque liberam, quum sontes pu-

niendi, tum consultandi et ea quae consultasset expediendi; nec a Dictatore ulla cuiquam provocatio dabatur. Sed ad alias res non sese extendebat ipsius potentia, quae ad immutandum statum Reipublicae facerent; non antiquas leges abrogare et novas condere, nec Senatus maiestatem minuere. Quae quum ita se haberent, ac Dictatura potentia certo tempore certisque limitibus circumscripta esset, in populo moribus integris nunquam fieri potuisset, ut Dictator extra suos fines egressus, tyrannidem invasisset. Dictatura ergo recte usurpata populo Romano semper profuit; usque adeo, ut inter summa Reipublicae praesidia connumerari debuerit, et ad eas causas referri, quibus ad tantam imperii magnitudinem ascendit.

Locosa

Magister TUCCIO:

— Demptis e decem sex, atque deinde quattuor, quid denique restat?

TUCCIU tacet.

Instat alter:

— Hem! serva. Si tu cerasa decem possideas, sex primo edas, postea quatuor, quid reliquum tibi?

TUCCIU: — Decem nuclei!

TUCCIU renovare coactus scientiae suaे periculum, Magistro:

— Ah! si ne hodie quidem probatus discesserim, Tiberis gurgitibus me miserum concedam!

— Sine detractione feceris: cucurbitae enim in aquis semper fluitant.

Aenigmata

I

Vox eadem maneo: mox glandes sexaque vibro, mox vobis, pisces, molior insidias.

II

Proh dolor! Elinguis nequeo tibi reddere voces.

Principium varia: sum procul insidiis.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) Arcus, Orcus; 2) Acia, Ascia.

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

Ann. XXVII

Romae, mense Decembri MCMXL

Fasc. XII

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXL est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad IOSEPHUM FORNARI doct. *Romanam, Via di S. Maria dell'Anima, 39* sive ad *Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano*

SOCIIS ET LECTORIBUS COMMENTARIIS
NOSTRI HUMANISSIMIS natalicia, quae properant, festa et novum annum fausta felicia ex animo ominamur. Afferant hominibus bonam illam voluntatem, ex qua tantum sperare licet veram pacem, in iustitia scilicet et caritate, quam Christus nascens universo orbi nuntiavit et Summus Ecclesiae Pontifex, Eius Vicarius, Pius XII, suadere et auspicari nunquam desistit.

Quae nostra proposita sint in annum MCMXLI, in fasciculo mensis Ianuarii de more explanabimus: hodie tantum admonemus premium consociationis, quod est libell. 15 pro Italia, summa 30 libell. Italic. aequans pro exteris gentibus, licet tristissimis hisce temporis adiunctis, immutatum mansurum. Magnae huic nostrae mercedi Sociorum merces respondeat; atque citius eorum qui subnotationis premium exeuntis huius anni MCMXL nondum solverunt.

In memoriam denique revocamus ALMAE ROMAE sedem a Via del Governo Vecchio, 96 translatam esse in Via S. Maria dell'Anima, 39.

A. R.

HISTORICAE NOTAE¹

De Romana Republica a coniuratione Sp. Melii ad Gallorum invasiones.

Populi finitimi maxime exagitantur, sed adverso marte; Romani enim primum Fidenates, qui, quasi ad Urbis portas, Etruscorum veluti erant formidabile pugnaculum, ad meliorem frugem reducunt; Aequos pariter et Volscos inter an. CCCXXXI-CCCXVIII, Veios denique bello decem annorum, multis divinis signis conlustrato, tandem devincunt virtute Camilli, qui Dictator creatus, cuniculo subducto, in Veiorum forum repente cum suis erupit, omniaque ferro ignique vastavit (a. CCCXCVI a. C. n.). Veis captis, mox facile subiguntur Etrusci, fines Capenatiuum vastantur, Faliscis venia fit, Sappinates prosteruntur. Sed en Galli, qui irrefrenato impetu in Urbem ruunt omniaque immani populantur incendio.

Quod autem internam vitam attinet, anno CCCXXXI factus fertur primus census: Censorum decennale munus Aemilius consul ad menses duodeviginti contraxit, qua propter a Censoribus « nota » affectus est

¹ Cfr. fasc. sup.



atque tributis oneratus et «aerarius» renuntiatus.

Consulum loco Militum Tribuni denuo creantur; interdum et Consules et Tribuni militum simul reperiuntur in fontibus.

Plebs morbis rerumque caritate aereque alieno oppressa plures commovetur, sed parum obtinet; vix ut Consulum loco Tribuni militum creentur etiam a plebeis, licet primis quadraginta annis fere semper patricii creati sint. Leges agrariae non semel a Tribunis Plebis proponuntur, sed fere frustra: nonnunquam iidem plebis Tribuni inter sese non concordant.

At hostibus urgentibus concordia plures inter patres et plebem restituitur, fere semper novis plebi iuribus partis. Capto tandem Veiorum oppido, splendidoque triumpho relato, Camillus quem obstitisset Tito Licinio plebis tribuno roganti ut Veiorum ager plebi distribueretur, a Tribunis Plebis accusatus, an. CCCXCI ulro in exsilium abiit, deos deprecatus ut innocentem vindicarent, utque quamprimum Romam sua indigeret opera. Sane, ecce Galli in Urbem irruunt omniaque igni consumunt (an. CCCXC a. C.). Camillus accurrit, repellit Gallos, qui iterum tertiumque redeunt usque ad medium saec. IV, sed semper infectis rebus discedunt.

* * *

Et nunc ad animadversiones criticas.

Bellum contra Fidenas certum est, licet non constet utrum pugnatum fuerit anno CCCXXXVII an CCCXXVI, aut etiam se-rius, certe ante bellum Veiorum, quod forsan initium habuit inter an. CCCVI et CCCIII, incerta de causa. Spatium annorum decem forsan e bello Troiano desumitur.

Nihil nos vetat credere Veios captos per cuniculum.

Quod ad vitam internam constitutionemque reipublicae attinet, haec summa capita certa videntur:

Censura, licet disputetur quo certo anno, hoc tamen temporis spatio orta est.

Idem tenendum de Tribunis Militum imperio consulari; hi tamen e plebe nonnisi seriis delecti sunt.

Discordiae patres inter et plebem plures excitatae compositaeque fuere; plebs autem agrum Veientorum obtinuit atque incoluit; siquidem ad Gallos arcenos Romanis primum conveniunt in agrum Veientanum.

Camillus primam partem tulit in Veiis oppugnandis; fortasse invidiam populi deinde in sese excitavit; cetera quae de eodem feruntur vix credenda.

Sed quamquam eventus in se simplices plures narrati connexique inter se fuere; quamquam bella magnitudine atque diuturnitate aucta sunt, attamen ea quae supersunt e traditione hellenica, si conferantur cum elementis vetustioribus atque generalibus traditionis Latinae, nos quodammodo tamen dirigunt ad summa invenienda, dispicienda historiae Romanae atque Latinae lineamenta ante Gallicam quoque invasionem; ad dignoscendas discriminandasque illas saltem res gestas, quibus quasi fundamento nixa, Roma tandem, quae urbs finitima tantum foederis erat Latini, foederi universo praevaluit, Etruscis obstitit, Fidenates Veientesque subegit.

SYLVIUS ROMANI.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

De participio neutro absolute posito

Quaedam participia passiva interdum sola ponuntur in ablativo absoluto.

EXEMPLA: Consul, statione equitum ad portam posita, *edictoque* ut quicumque ad vallum tenderet pro hoste haberetur, fu-

¹ Cfr. fasc. sup.

gientibus obstitit (TIT. LIV.) — Caesar temeritatem militum reprehendit, *exposito* quid iniquitas loci possit (CAES.) — *Explorato* iam profectos amicos, noctem quietam agit (TAC.) — Pataris, *cognito* vivere Ptolemaeum, navigandi in Aegyptum omisum consilium est (TIT. LIV.) — Ibi, ex agrestibus *cognito* hostium naves ad insulam Aetholiam stare, consilium habitum (TIT. LIV.) — Milites Germanicum, sese feriret hortabantur; et miles, nomine Caius Lusidius, strictum obtulit gladium, *addito* acutiorem esse (TAC.) — Urbem *auspicato* inauguroaque conditam habemus (TIT. LIV.) — Quasi *debellato* triumphabat (TIT. LIV.) — *Intellecto* in quos saeviretur, pesimi quoque arma rapuerant (TAC.) — Nec Claudius ultra *exspectato* obvium apud forum se praebet gratantibus (TAC.) — Germanicus, nondum *comperto* profectionem eam incusari, Nilo subvehebatur, orsus opido a Canopo (TAC.) — *Auditio* castellum obsideri, sex legiones eo duxit (TAC.).

De sensu quarumdam coniunctionum

a) «*Et*» ponitur nonnunquam pro «*etiam*».

EXEMPLA: Optavit lentas et mihi militias ((TIB.) — Virtutes et ipsae taedium pariunt, nisi gratia varietatis adiutae (QUINT.) — Fortuna quo se, eodem et inclinat favor (PUB. SYR.) — Darius, cum vinci suos videret, mori voluit et ipse (IUST.) — Quanto maius praelium fuit, tanto et clarior victoria (IUST.) — Nihil eripiet Fortuna, nisi quod et dedit (PUB. SYR.) — Erimus ibi, dedicationis die, quem epulo celebrare constitui. Subsistimus fortasse et sequenti, sed tanto magis viam ipsam corripiemus (PI., Ep., IV, 1) — Nec minor Euryali caedes: incensus et ipse perfurit (VERG., Aen., IX, 342) — Multos turba, cum praecipites deruptaeque utrimque angustiae essent, in immensum altitudinis deiecit, quosdam et armatos (TIT. LIV., XXI, 33) — Struem ingentem

lignorum faciunt eamque, quum et vis venti apta faciendo igni coorta esset, succendent (TIT. LIV., XXI, 37) — Mox, cornua extendendo, clausere et ab tergo hostes (TIT. LIV., XXII, 47) — Consulem et ad regendum equum vires deficiebat (TIT. LIV., XXII, 49) — Simul et ipse Patres Conscriptos quid pararet edocet (TIT. LIV., XXVII, 43) — Postero die, consilium habitum, cui et L. Porcius Licinius praetor adfuit (TIT. LIV., XXVII, 46) — Equitatum et ipse circumdedit cornibus (TIT. LIV., XXX, 33).

b) Ad probationem inducendam, usurpat «nam, enim, etenim, quippe». Interdum «enim» et «etenim» continuant orationem.

EXEMPLA: Hac pugna nihil adhuc nobilis; nulla enim unquam tam exigua manus tantas opes prostravit (CORN. NEP.) — *Etenim* dicere bene nemo potest, nisi qui prudenter intellegit (CIC.) — Hic pagus appellatur Tigurinus: nam omnis civitas Helvetia in quatuor pagos divisa est (CAES.) — Ius semper quaesitum est aequabile: neque enim aliter ius esset (CIC.) — Sol Democrito Magnus videtur, quippe homini eruditio in geometriaque perfecto (CIC.) — Quam aptas quamque multarum artium ministras manus natura homini dedit! Digitorum enim contractio facilis, facilisque porrectio, propter molles commissuras et artus, nullo in motu laborat (CIC., II De nat. deor., LX, 150) — Que quisque est solertior et ingeniosior, hoc docet irascundius et laboriosius; quod enim ipse celeriter arripuit, id cum tarde percipi videt, discruciat (CIC.) — Quid miraris viros bonos, ut confirmentur, concurti? Non est arbor solida nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat: ipsa enim vexatione constringitur et radices certius figit; fragiles sunt, quae in aprica valle creverunt (SEN., De Prov., IV).

c) «*Quin*» non raro ponitur pro «*ut non*» in completivis.

EXEMPLA: Facere non possum *quin* quotidie ad te litteras mittam, ut tuas accipiam (CIC.) — Germani retineri non poterant *quin* in nostros tela coniicerent (CAES.) — Haud multum abfuit *quin* Ismenias interficeretur (TIT. LIV.) — Nihil abest *quin* sim miserrimus (CIC.) — Non possum *quin* lacrimem (TER.) — Mira fulminis opera sunt, nec quidquam dubii relinquuntia, *quin* divina insit illis potentia (SEN.) — Nunc lavabo ut rem divinam faciam, ne amicum morer *quin* suum extemplo filium ducat domum (PLAUT., Aul., V, 2) — Non deprecor iam *quin* gravedinem et tussim non mihi, sed ipsi Sextio ferat frigus, qui tunc vocat me, quem malum legit librum (CATUL., 44) — Ego me a Pompeio legari ita sum passus, ut nulla re impedirer *quin*, si vellem, mihi esset integrum censuram petere (CIC., Att., IV, 2) — Vix sibi temperant superbi, *quin* eo usque impudentiae provehantur, ut naturam oderint, quod infra deos sumus (SEN., Benef., II, 29) — Teneri non potui *quin* tibi apertius illud his litteris declararem (CIC., Att., IV, 14) — Non potuerant contineri *quin* bellum parent coniurationesque facerent (CAES., Bel. gal., V, 9) — Quis unquam dubitavit *quin* in republica nostra primas eloquentia tenuerit semper, secundas iuris scientia? (CIC., Or., 41) — Haec quum cernimus, possumusne dubitare *quin* his praesit aliquis effector et moderator tanti operis? (CIC., Tusc., I, 28) — Non dubium est *quin* magnum mihi ex hac re sit malum (TER., Eun., V, 6) — Paulum abfuit *quin* Varum Pelignus interficeret (CAES., Bel. civ., II, 35) — Perfuga ad Gallos venit, docetque non longius abesse *quin* proxima nocte Sabinus clam ex castris exercitum educat et ad Caesarem auxiliu ferendi causa profiscatur (CAES., Bell. gal., III, 18) — Aegre tunc sunt reteniti milites *quin* oppidum irrumperent (CAES., Bel. gal., II, 13) — Dici non potest *quin* ii qui nihil metuant, beati sint

(CIC., Tusc., V, 7) — Quis ignorat *quin* tria Graecorum genera sint? (CIC., Flacc., 27) — Illud te non arbitror fugere *quin* homines in dissensione domestica debeant honestiorem sequi partem (CIC., Fam., VIII, 11).

I. JSS.

AD IESUM PUERUM

*Tristis saevit hiems terraque frigore
late diriguit sentibus aspera;
nullus ridet odorus
rivi margine flosculus.*

*Duram at saevitatem spernere temporis
ingens egit amor; limine desilis
caeli, Christe, beato
et mortalibus advenis.*

*Extemplo aethereis acta nitoribus
cedit nox animis lugubris ingruens;
lux optata refulget
et pax candida cordibus.*

*Eheu, me pariter detinet improba
mentis segnities tristeque taedium,
correptusque pavore
curis torqueor anxiis.*

*Incumbunt tenebrae criminis horridae
eiecere procul spemque superstitem...
ah, succurre labanti
culparum immemor omnium,*

*unum perfugium flentibus efficax!
O Iesu, venias, cor tibi praebeo.
regnat te sine luctus,
tecum vivere est gaudium.*

HIRPINUS.

Non aeque amici audiunt et inimici.

S. HIERONYMUS.

PUER IESUS IN PINGENDI ARTE PERSPECTUS

Puerum lesum vel in praesepio humilius cubantem, vel in ulnis a Virgine Mater Magis regibus, pastoribus, christicolis adorandum exhibitum quo melius effingent coloribus, peritissimi quique picturae, nobili quadam aemulatione, inter se contendisse videntur. Atque in primis animadvertisendum existimamus vel in Ecclesiae initii, quum primi christifideles sacra peragentes hypogaeorum premebantur angustiis, iam tum ab artificibus divinum puerulum penicillo, aut in anaglyphis reddi coeptum esse. Prima id genus opera nullius fere sunt momenti, quum nihil aliud, nisi romanae artis ad occasum vergentis praebant monumenta. Neque pluris habendae videntur huiusmodi tabulae a Bizantinis, vel ab aliis, bizantino more, pictae, utpote quae proceris rigidisque formis ab huminis verisque maxime dissident.

Infantis Iesus pictor dignus, qui memoretur, primus occurrit Octavianus Nellius, qui simplici utens pingendi ratione, verum confecit praesepe, prout nostris adhuc diebus a populo effingitur novendialibus precibus nasciturum Messiam invocante. In eo enim videre est Virginem Deiparam brachia tendentem filio, qui cum levi risu, tum manibus sublatis matri invitanti perlitter responderet, atque ex humili stramento surgere videtur. A dextera interea duae ad praesepe properant mulieres, quarum una urceum aquarium, altera linteum fert manibus et fascias, quibus infans Iesus induatur. Sanctus autem vir Iosephus, dextro in latere fere abditus, admirabile humani generis Servatoris mysterium secum animo cogitat atque meditatur. Bos etiam asellusque mirificum Redemptoris adventum animadvertisse apparent, quippe quum a stramine comedendo destiterint attonitique insolitum circumspicient spectaculum.

Exquisitiorem redolet artem tabula a Philippo Lippio picta, quae Florentiae asservatur in palatio «Pitti», in duas divisa partes, sive scenas: harum in anteriore Virgo Mater oculis accipitur, cuius in genibus divinus insidet filiolus malum punicum, foecunditatis symbolum, manu praebens spectantibus. Posteriore in tabulae parte puerpera quaedam in lectulo effingitur, quasi in Dei Matris fidem, fausto auspicio, sit commissa: hinc et illinc foeminae, laetitia exsulantes, curis prosequuntur donisque cumulant puerperio adhuc aegrotam, quae nato suaviter ad blanditur, dum pater dextrorum externam domus concendet scalam, nuntium pueruli recens orti relaturus sacerdoti, qui sacris Australibus abluit aquis.

Personarum multitudine ac varietate sumptuosis exornatarum vestibus admirationem coniicit in spectatores infans Iesus Magis regibus colentibus a Virgine Deipara mediis in brachiis praebitus, quem pinxit Florentiae Dominicus Ghirlandao. In hac enim tabula auctor vestes et ornamenta suis temporibus in more spectantium oculis tali subiicit arte, ut magnificus Magorum regum comitatus ex puellis, pueris, viris equitibusque Florentinis constituit videatur, atque ex his omnibus quid unum harmonicum mirificumque proficiatur.

Magos reges Messiam adorantes effinxit coloribus etiam Bernardinus Luinius, qui non secus, atque artifex quem modo memoravimus, in iis regiis personis eorumque pueris virisque concomitantibus pingendis, principes et comitatus suorum temporum sumptuosis vestibus ornamentiisque nitentes sibi reddendos coloribus constituit. Haec tabula asservatur in Galliae Cisalpinae oppidulo, quod italice «Saronno» appellatur.

Finem, quem sibi praestituerant Dominicus Ghirlandao et Bernardinus Luinius, plene perfecteque est assecutus Benotius

Gozzolius, qui Florentiae in sacello palatii « Riccardi », quo tunc temporis tamquam regia Medici utebantur, summa rerum potiti, reflorentes artes, atque Medicei principatus ritus magnificos, pomposaque instituta peniculo effingenda suscepit. Per insignis itaque artifex in pariete absydi proximo Virginem pinxit divinum filiolum Magis regibus adorandum praebentem : dextera autem et sinistra mediis in arboribus festiva beatorum spirituum agmina oculis accipiuntur. Reliquis in parietibus magnificos trium Magorum regum comitatus ad praeseppe properantes videre est, qui centum triginta personis in compositum, quadraginta equis, quatuor dromedariis constant. Heic, nisi spatii angeremur angustiis, verbis abunde esset persequendum immanis istud magnitudinis opus, quod personarum numero ac varietate, vestium ornamentorumque opulentia atque splendore spectatores admiratione percellit; sed satis illud leviter attigisse.

Per gentibus tabulis, de quibus diximus, exigua mole adversari videtur quam pinxit Laurentius Scarpellonius, cognomento « di Credi » communiter notus, qui Mariam eiusque integerrimum sponsum adorantes puerum Iesum ita coloribus effecit, ut eae personae, suavi nitentes pulchritudine, exquisitissimam Urbinatis praesentirent ac redolerent artem. Hoc insigne picturae opus Romae suburbanae quondam Burghesiorum villae pinacothecam statis diebus invisentibus admirari licet.

Dignas id genus tabulas, quae laudentur, pinxerunt quoque Beatus Angelicus, Benvenutus Tisius, vulgo « Garofalo » appellatus, Albertus Durero, Petrus Vannucius, et alii sexenti, quos numerare longum est. Attamen facere non possum, quin obiter memorem Ioannem Van Eyck belgam, Gherardum Honthorst batavum, cui delle Notti cognomen datur, quod nocturnis pingendis scenis, Caravaggiano more, maxime delectabatur, et Alexandrum Bot-

ticellum, qui in huiusmodi effigendis tabulis, de quibus verba fecimus, perfectio fastigium attigisse habetur.

Mirum sane est trium artificum primum, qui floruit XIV christiano saeculo ad extremum vertente, vel XV ineunte, quum pinendi ars nondum adoleverat, tam suavi decore Virginis vultum exornasse Messiam Magis regibus adorandum praebentis.

Alter autem pictor tres mulieres peniculo reddidit infantem Iesum in Virginis ultiis colentes, quae tamen oculis, fronte, labiis, totaque facie videndi potius, quam adorandi ostendunt cupiditatem. Neque vera Deipara patet adspectu Maria, cuius in sinu perbellum quidem admiramus puerum, at minime divinum. Praecipua huius tabulae virtus sunt mirifici effectus, qui ex luce atque ex umbris inter se harmonice decertantibus, sive, ut rectius dicam, foedus sapienter pangentibus, proficiscuntur.

Tertius denique, videlicet Botticellius, Virginem Mariam brachiis ferentem, vel foventem sinu puerum Iesum mediis in angelis adorantibus quater penicillo effingendam suscepit, totidemque illud Horatii « ... variata placent » ad unguem in usum deducere, maxima mentis acie ornatus, valuit. In his tabulis, quarum tres Florentiae asservantur, alia autem Romae, personarum, praesertim beatorum spirituum, vultus ac formae tam suaviter tenuia, exquisita, perfecta eluent, ut ea non hominis, sed superiorum arte confecta dixeris: fieri enim non potest, quin animus, in hoc sublimi perspicioendo spectaculo, a terrenis se expediri, atque ad caelestia contemplanda quodam modo tolli rapique sentiat.

X.

Vere magni animi est iniurias negligere, nec ad quorundam convicia aures vel linguam habere.

CHRISOSTOMUS.

DE ITALORUM METALLORUM RECENTI SPECTACULO¹

Romae, in nobilissimo illo maximo Circo, cuius apud valles Ovidius docet cavum alveum consedisse, geminosque lupae lac sorbentes fatum Urbi aeternum statuisse, patuit recens italorum metallorum spectaculum, quo magni sane et mirabiles conatus referebantur, quibus amplissimi viri rem publicam nostram regentes contendunt, ut exterarum gentium, secundas nobis res invidentium, imperium, vel melius iniquam servitutem effugiamus, nobisque salutem nostris ipsorum viribus expetamus.

Locus est ex pulcherrimis totius Urbis. Non longe abest Caesarum Palatum, Aventinusque Mons, atque in virentium arborum recessu, rudera supersunt testantia nostrorum patrum gloriam. Neque frustra plus quam viginti saecula interiecta sunt ex quo certantium colores in eodem hoc Circo agitantur, ubi nunc Italorum et voluntatis et audaciae et alacritatis documenta mirantium oculis sunt magnifice demonstrata.

Sed iam spectaculum adeamus.

Quod antequam ingrediamur machina vaporitraha se nobis dat in conspectum. Quae, pluries confectis itineribus, plus quam trecenta chilometrum milia percurrit; nunc quoque quiescens quoddam opus perficit; hiberno enim tempore vapore suo spectaculi aulas calefacit, exemplar et quasi imago Italorum industriae et laboris, quae nunquam, ne in senectute quidem, minuuntur.

Spectaculum dextrorum peragrat incipientibus obiciuntur primum comburenda

¹ Libenti animo hanc descriptionem edimus a cl. d.re Mario Gianoglio, socio nostro, anno 1939 discipulis suis Consentini lycei, habitam; eoque magis quod inde testimonium perhibeat, in Italis publicis ludis latini sermonis usum haud omnino in desuetudinem cessisse.

solida, quorum mirari licet, cum fodinae exemplum diligenter restitutum atque expressum, tum quoque machinas et arma, quae metallorum opifices coram adeuntibus tractant exercentque, quibus metalla in terrae sinu effodiuntur et in lucem producuntur.

Pone subeunt liquentia atque aëria comburenda. Ad quae pertinet ingens turris qua, adiuvantibus machinis, inferius solum exploratur. Licet hīc sub oculis habere, accurate et eleganter restituta, usque ad minima, omnia quae ad oleum vivum, quod petroleum nuncupamus, requirendum et extrahendum sunt.

Immanis nunc petra ad unguem efficta locum demonstrat ubi metalla e ferro conspicenda pateant. Machinae hīc quoque et opifices operam dantes, lumina sapienter collocata, moderataeque luces mentes animosque magna alliciunt admiratione.

Quae autem ex plumbō, zinco, argento, cadmioque effecta sint, in subsequenti aula discimus, sive in his metallis effodiendis, sive in iisdem ad plurima quae inde elici possint adhibendis.

Petrarum nunc plurima praebentur specimina, quae metallum, quod optimo iure italicum dici potest, id est aluminium, effundunt. Aula subsequitur, in qua plurima exhibentur quae ad metallum quoddam, quam excellentissime italicum, argentum vivum, inquam, seu hydrargyrum, quod Itali Mercurium appellant, referuntur; cuius quidam mirus fons, plurimis continenter exsiliens iactibus, in peristylio conspicitur, in quem manus iniecisse, ut hydrargyrum manibus complectentur Angli Regni Administrati, Romam visentes, frusta conati esse dicuntur.

Stannum autem, et nikelium, et cobaltum, et stibium, seu antimonium, et arsenicum, et aurum, et alia plurima aliis locis oculis subiciuntur, in quibus plurima colliguntur vel ex his confecta, vel quomodo eadem veniunt in hominum manus.

Sed nunc aulae maxima et plurimae vi-sentibus aperiuntur, in quibus marmora exstant. Magna hic, vel potius maxima, et innumera copia colorum, venarumque distinctionum; pulcherrima omnia atque admiratione digna; praesertim in aula quadam omnium Italiae marmororum specimini-bus exornata, liquidoque undae fonte laeta. Contra, in spectaculi sinistro cornu, ad rei mensuram expressae, lautumiae effectae sunt, Carariensium instar, in quibus omnia videre licet quae apud Carariam sunt ad moles marmoreas secandas, easdemque in inferiorem locum deferendas, quadrandas, poliendas.

Sulphuris fodinae exemplum, mores et loca in quibus sulphur effoditur, in inse-quentibus aulis patent, finitima quibus aulae aliae patefiunt, in quibus plurima exhibentur, ut arenae ex silice, et alia plurima, quae ex petris nostris educuntur.

Maximae nunc aedes circumeuntibus praestolantur, quarum primis, maiestate ipsa loci, plurimisque tabulis et numeris, quae facta vel facienda sint demonstrantur, ut nos ipsi in omnibus rebus nobis suppetamus; alteris quae omnia machinis et instrumentis exquirantur; tertii autem quae omnia, eaque permulta, facta sint ad terras nostras in fertiles agros convertendas, paludesque et omnes pestilentes exhalationes reiciendas. Titulum autem summis his ae-dibus inscriptum, longe conspiciendum, vi-demus «Autarchia», cui paulo inferius haec quae sequuntur verba usque a primo spectaculi aditu leguntur: «Mussolini sem-per recte monet».

Secunda nunc et ultima pars spectaculi manet inspicienda, quam ad invisendam pergemus retro, dextrorum semper ambulan tes, sed aditum versus. Et salis primum tabernaculum ingredimur.

Quod tribus aulis constat, quarum in prima plurima conspicuntur, quibus fit, ut sal ex maris aquis respiratione seu vapo ratione educatur et in candidos acervos

coacervetur. Cum haec omnia aptis ma-chinis flant, ideo parvula rerum hominum que exemplaria operas omnes ad unguem effingunt atque exprimunt. Quas operas ta-bulae numerique collustrant, e quibus etiam omnia ostenduntur, quae ad salis mercaturam, seu in nostrum populum seu in alienos, attinent. Ad haec accedunt ta-bulae complures, quibus emergit anti-quitus Romanos salem protulisse, merca-toque esse, a quibus hae artes mediae ae-tatis hominibus, et ab his nobis, per sae-cula, traditae sint. Nativus etiam sal, quem vulgo «sal gemma» appellamus, pro-ducitur in mole quadam e Bruttiorum fini-bus devecta; accedunt bromum bromura-que, quae omnia Itali novissime sibi pro-ferre possunt.

Aliud sequitur tabernaculum, in quo cautions proferuntur quae ad subolem in-dolemque nostras defendendas, vitamque hominum operam in fodinis dantum tuen-dam adhibentur. Conspecti etiam potest qui fuerit antea fodinarum status, quibus insidiis, quae nunc vitari possunt, illi tunc petiti fuerint. Hinc ad Sacrum acceditur opificibus in opere mortuis dicatum; hic metallorum opificum collegiorum signa col-lecta sunt, et singulorum in toto orbe nomina locorum, ubi italici opifices operam dederunt, mortemque interdum obierunt.

Medicarum aquarum tabernaculum de-inde patens, cum italicas omnes medicas aquas offert, tum etiam plurima omnium temporum documenta ostendit, ex quibus constat medicos Italiae fontes iam a praे-romanis temporibus usque ad aetatem no-stram fuisse cultos, ex iisque salutem semper petitam. Inter quos celeberrimum fuisse, apud lacum Sabatinum, Aquae Apollinaris fontem, monumentum, stips votiva mire adhuc servata et huc pro tem-pore translata, indubium profert testimo-nium.

Commerciis sequens tabernaculum ad-dictum est, ibique omnia recensentur, quae

ad officinarum, domorum, hominumque sin-gulorum utilitatem pertinent, multaque ex his, quae tamen statim usui sint, emi pos-sunt. Paratae vario modo mensae, domo-rum supelleciles instrumenta, sapien-ter exornata conclavia adeuntum oculos alliciunt.

Sed permagnum hic tabernaculum ianuas aperit. Arma, arma, inquam, arma, quae velut panis nobis necessaria sunt, ut pa-nem nostrum vitamque nobis provideamus et caveamus, arma quae populo nostro omnibus temporibus usui fuerunt, nos mi-rantes exspectant. Vexilla primum vide-mus, quae referunt superiorum temporum signa militaria; exemplaria deinde omnium armorum, vel antiquissimarum aetatum, quae omnes Italiae gentes iam ante ho-minum memoriam, palaeolithico, neolithi-co, aeneo, ferreo tempore, manibus te-nuerunt, vitamque contra hostes vel beluas tueri conatae sunt. Arma accedunt aevorum recentiorum, Etruscorum, Romano-rum, usque ad aetatem quam medium dicimus, et ad aetatem nostram, usque etiam ad bella quae ipsi viximus et pugnavimus. Per multa hic miranda sunt, nimia dictu, de armis exercitus nostri, classiriorumque nostrorum, praecipue de armis illis, quae subaquanea appellamus. Sed quae magis mentem nostram alliciunt illa sunt, quae ad aëriae navigationis artem pertinent, in-ter quae tria tecto suspensa velivola et plurima parvula exemplaria velivolorum, quae Itali ab artis aviariae initio usque in praesens tempus exstruxerunt. Accedunt arma illa dierum nostrorum, quae secun-dum novissima inventa legesque doctrinae sunt exstructa, et exemplar quoddam om-nium operum quae ad aërium periculum arcendum praesto sunt.

Ultimum tabernaculum demonstrat quae omnia, plurima et optima, flant ad iuve-nes exercendos parandosque, ut operam in fodinis dent, ex quibus rebus existimari licet populum nostrum brevi sibi paratu-

rum esse, viribus et solo suis, omnia quae ad vitam sibi suppeditent, nihilque tandem ab exteris gentibus iam petitum esse. Quod propositum assequi est nunc summa patriae necessitas. Et hercle! assequemur, pecuniarumque servitutem erga exteris gentes feliciter effugiemus. Industria, la-bor, sobrietas, quibus excellimus, nostri soli petrae nos victores tandem futuros esse fidem faciunt. Opportune quidem in men-tem mihi venit, cum clarissimum Ovidianum illud, quod huic spectaculo iure po-terat esse titulus:

*Inde genus durum sumus, experiensque laborum,
et documenta damus qua simus origine nati,
tum non minus clarum Ducas nostri illud:
«Nemo nos se flexurum speret, nisi prius
acerbe pugnaverit!»*

Peragatio iam nunc absoluta est. Ex-euntibus sese offerebat Axumensis obeli-scus, imperii nostri signum, quod novae cuidam viae, cui nomen «Imperialis», ini-cium dat. Quae via in novos Urbis vicos adducit, ubi in annum millesimum nongen-tesimum secundum et quadragesimum, (vel paulo posterius, ut impraesentiarum oppor-tunum videtur) magnum totius orbis specta-culum struendum erit; quae via etiam ad Ostia illa Tiberis adducit, ex quibus nova semper antiquorum temporum monumenta in lucem producuntur, quae nobis vires, bonas artes, mores, commercia, collegia atque constitutiones, sacra etiam imperii temporum testantur. Haec est illa maris via, quam viri qui rebus nostris praesunt novis vehiculis straverunt, ut quam citi-sime ad mare perducat, ad illud mare, cui res et fata nostra omnia credita sunt, ad quod omnes nostrae vires et conatus omnes nostri spectare debent; idem enim nobis una salus est; mare illud, inquam, quod patres nostri «Nostrum» appellaverunt, nobisque nostrum renovandum est. Idem ad nos pertinet, non solum quia omnis no-stra paeninsula in ipsum protenditur, sed

etiam quod naves nostrae portus nostros petentes, et italicos, et libykos, et erythraeos, id continenter peragrant. Atqui etiam nunc cum Vergilio dici potest:

Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor!...

MARIUS GIANOGLIO.

Selecta ex bibliothecis et archivis

Anatomica humani corporis synopsis

(*Prolusio habita a IOANNE MARIA LANCISI in Almo Romanae Sapientiae Lyceo cum primum demandata ab Innocentio XI P. M. Anatomiae sibi Cathedram suscipiet VIII Id. Novembr. MDCLXXXIV*)¹

Nondum Anatome innotuerat mortaliibus, quum eam apud superos miro Artis rudimento feliciter eluxisse, sapientissimi Veterum fabulis adumbrarunt. Iupiter si quidem vehementer capite laborans Vulcanum ad cranii dissectionem fertur adhi-

buisse, qui vix ferro cranium Deorum Principi reseraverat, quum Pallas (res dictu ne, an visu mirabilior?) erupit. Sic Sapientiae Dea, quae se a prudentissima Iovis mente genitam gloriabatur, non aliter, quam obstetricante Anatome in lucem prodire potuit. Haec sane mecum ipse aliquando revolvens sub huius fabulae corte veram, dulcemque medullam diu latuisse deprehendi. Non aliunde, videlicet, quam ex Anatome admirabilem, perfectamque Sapientiam, perinde atque a dissecto Iovis capite, inter Medicos ortam fuisse.

In duobus vero, ceu carminibus tota vertitur Medicorum Sapientia, qua ab Empiricis (quibus bellum semper indixerat) discriminantur; horum alterum est notitia salubris humani corporis status, alterum internas morborum causas, morborumque sedes ante omnia percallere. Utrolibet autem in statu animale corpus consideretur, profecto ab Anatome statuitur tanquam physiologicum axioma, illud esse machinam non modo mobilem, sed etiam se moventem, pluribus, diversisque, qua duris, qua mollibus machinulis coagmentatam, una cum variis intercurrentibus, aut pro temporum, usuumque necessitate, subsistentibus fluidis, quorum nonnulla inter se, pleaque vero vicissim cum solidis in motum aguntur. Hae porro machinulae, ubi rite apteque cohaerent, moventurque, ibi prospera viget valetudo; contra vero aegritudines emergunt, quum apta illa, et harmonica solidorum structura, humorumque permeantium crasis, et motio alicubi violatur.

Antequam autem admirandae, Deoque Opifice dignissimae machinae cum ex hoc suggestu, tum in theatro per partes singulas pulchritudinem, symmetriam, constructionem, motum, usumque tyronibus ostendero, opera me pretium facturum, remque vobis, Viris praeclarissimis, minime ingratam prestaturum censeo, si hodierna luce totius fere humani aedificii molem,

¹ IOANNES MARIA LANCISI in Urbe natus an. MDCLIV, secundi ordinis studi in scholis Societatis Iesu peregit, ac deinde, vix undevigesimum annum attingens, medicae artis lauream consequitus est. Triennio post iuter medicos nosocomii S. Spiritus adscriptus, tanta ibi ingenii vi excelluit, ut ad docendum in Romano athenaeo vocaretur, ibique deinde pro-rector, protomedicus Priorque Collegii medici renuntiaretur. Pluribus quoque aliis honoribus honestatus est, inter quos Summorum Pontificum Innocentii XI et Clementis XI archiatri atque intimi cubicularii. Praecepta atque instituta eius multum valuere ad studia medica corrigenda eaque in novam viam inducenda, nempe praxeos et in singularum aegrorum naturam acutae perscrutacionis. Hinc eius fama longe lateque manavit, eoque magis quum eius scripta, eaque fere omnia latine, neque incompte, exarata, typis, quatuor voluminibus, in vulgo edita sunt. In his inquisitiones de subitanis mortibus, de noxiis paludum effluviis eorumque remedii, de motu cordis et aneurysmatibus, et acrosis illa, quod caput disciplinae sua dicunt, de recta medicorum studiorum ratione instituenda in humani generis et scientiae utilitatem. Decessit Romae die xxi mens. Ianuarli MDCCXX, et sepultus est in templo S. Spiritus in Saxia, iuxta locum illum, quod laborum suorum fuit theatrum, cuiusque bibliotheca eius scripta nomenque religiose servat. De eius autem moribus scripsit Halerus: «Vir (fuit) prudens et splendidus, vir eruditus et philanthropus, adiuvare merentes, lites componere amans».

A. R.

ceu brevi quadam tabella delineatam, exhibuero. Quod quidem Architecti facere consueverunt, qui amplissimas aedes aut Basilicas, quarum latitudinem uno intuitu lustrire non licet, modulis, atque iconismis contractas, per omnia simul membra conspicientium oculis subiiciunt.

Age itaque salubris status cognitionem, superis faventibus, ingrediamur, et humanum corpus, mirifico praedicans, et veram scientiam Medicis exhibens, suspiciamus.

Ostium aedificii, per quod alimentis similiiter, ac spiritui ad vitam patet aditus, cogitationibus vero per sermonem veluti extitus aperitur; ostium, inquam, quod os appellatur, primo loco consideremus. Spectamus illico labia, et dentes non ornamenta solum, sed et munimenta, quum se obicem ponant frangendis, formandisque vocibus, et una cum mandibulis, et musculis sint perinde ut forcipes scindendis, ac terendis cibis validissimi; mox cernimus linguam, quae ossi hyoidei tanquam basi innixa, ob quinque muscularum paria miro ordine se complecentia, ac permiscentia, tum aërem certis modis inflectit, atque auxilio muscularum laryngis formatur in vocem; tum escam potumque ad oesophagum traducit: ob nerveas vero papillas, a Malpighio primum demonstratas, gustus est organum. Exhibit se deinde palati, fauciumque concameratio, undique glandulis, foratisque membranis, ichore salso-volatili manantibus, instructa, insignibusque saliva detectis fontibus, qui inter edendum loquendumque, novo pressionis additamento, lymphas suas emittunt, leniendis viis, profigandae siti, liquandis, solvendisque cibariis maxime inservientes. Superata uvula, quae suis instructa muscularis fraenulum est aëris, statim ad bivium pervenimus, ac miramur quo artificio natura ducendae iugiter per laryngis rimam in pulmones, reducendaeque atmosphaerae elevata solum epyglottide consuluerit, eaque depressa cibis, et potibus in stomachum per pharyn-

gem, et oesophagum, ceu per infundibulum inter spinam, asperamque arteriam traductum commode viam muniverit. Prosequamur iam a fauibus excepta, atque a pharyngis muscularis impulsa per oesophagum, salivalibus quoque glandulis insignitum, alimenta; nam intuebimur horum descensui, in homine quidem erecto corpore diglutiente, annulares, rectasque oesophagi fibras sufficere; in quadrupedibus vero, quippe pronis incidentibus, ad faciliorem trusionem cochleares etiam adiungi, quas stomachus quoque, et universus intestinorum tubus annularibus admixtis ob easdem mechanicae leges in nobis etiam, scilicet propter varias horum canalium proclivitates, ac circumvolutiones obtinuerunt; atque idcirco ipsi quoque quum cavi sint, et peristaltico motu donentur, cavi musculi passim dicuntur. Videbimus interea temporis subtiliorem nutrimenti partem, tam ab oris venulis, ac poris subreptam, quam in ipso per oesophagum lapsu obiis quibusdam vasculis itineris compendio in axillarem venam divertere; quo efficitur, ut languiduli, assumpto vivido quovis colore, citissime reficiantur.

(*Ad proximum numerum*).

ANNALES

Europaeum discrimen

Europaeum discrimen potius quam ad solutionem verteret, proximis diebus amplificatum est. Quum enim Italis constiterit Graecos, qui medios inter bellantes sese gerere profitebantur, ex adverso Anglicis favere, die xxviii superioris mens. Octobris Italicum gubernium ab iis repetit ut, in fidem professionis Italiaeque securitatem, huic facultatem facerent nonnulla loca idonea occupandi usque dum hodiernum discrimen perduraverit; quum autem nullam responsionem petitioni Graecia dederit,

Itali per Albaniae fines hostiliter Graecum territorium invaserunt perque impervias Epiri vias processerunt. Obstiterunt acriter Graeci, quibus auxilium suum Anglia promisit; non vero satis prospere. In caelo pariter pugnatum est et pugnatur, per aéronaves hinc Italies incendia ruinasque Graeciae inferentibus, inde Graecis paria referre conantibus Adriaticas praesertim regiones feriendo.

Sed longe perniciossima damna sunt, quae quotidie, die noctuque, Germani, quibus nunc Itali sunt additi, praecipuas Angliae et Scotiae urbes igniferis missilibus aggredientes efficiunt. Neque satis, quia quotidie etiam naves plures Angliae commeatibus afferentes in mari demergunt. Itali autem offensiones terra marique caeloque persequuti sunt tum in Melitam insulam, tum in portum Sudan, tum in Perim, maris Rubri insulam, tum in Angliae Aegyptias stationes Africasque colonias.

Quod si de bellantium consiliis dicere volumus, colloquia memorabimus Hitleri atque Mussolini Florentiae die xxviii mens. Octobris; Hitleri ipsius cum Franco, Hispanorum rei publicae praeposito, in Galliae Hispaniaeque finibus; neque non in Gallia primum cum Laval, vices primi administrorum concili Gallici agente, ac deinde cum Petain « mareschallo », Galliae reipublicae capite. Neque praetereundum est, Antonescu, Rumenorum ducem, Roman venisse (ubi etiam Summum Pontificem visitavit) ac deinde Berolinum petuisse, quo pariter Molotov, exterarum « Sovietorum » rerum administer, se consultulit.

Orationes denique a belli moderatoribus habitae sunt: ab Hitlero scilicet, Monachii, qui hoderni belli rationes confirmavit atque extremae victoriae voluntatem; a Churchill, qui declaravit Angliae consilium populorum libertatis tuendae, quae una causa fuit huius belli a se gerendi, immutatum manere; Mussolini denique, qui

unum corpus factum esse Germanarum Italarumque rationum iterum edixit: prae-nuntiavitque molem hanc a Norvegia ad Lybiam sese protendentem in manu iam victoriam tenere.

Ex Asia

Quum Anglia nuntiasset, se Birmaniae viam iterum aperituram, Iaponii, quippe quae via ipsa Cian-kai-seh auxilia libere allatura esset, declararunt, si id factum fuerit, sese per vim interrupturos. Quod reapse fecerunt, pontemque suspensum ad Kweitung vastarunt, qui unice fluminis ripas coniungebat, impedientes quominus commeatus transire possent.

Civitatum foederatarum Septentrionalis Americae Praesidis electio.

Roosevelt Civitatum Foederatarum Septentrionalis Americae Praeses a publicis comitiis tertio est designatus.

POPLICOLA.

LIBRI DONO ACCEPTI

MICHAËLIS FUSCO, *Tentamina poetica* (Ex off. Raph. Umili in Capua Vetere, MCMXXXIX).

TRAZZI Mons. ANACLETO, *Formicae magistrae*. Carmen latinum cum Italica versione JOSEPHI FERRARI (Ex off. Seminarii Patavini, MCMXL).

DR. ALB. CZECH S. V. D., *De representatione graphica propositionis Latinae* (Ex typ. Missionis Catholicae Yenchorfu, Shantung 1839).

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

INDEX RERUM VOL. XXVII

(AN. XXVII – FASC. I-XII)

	PAG.
Timon misanthropus (M. Ginotta)	124
Funebria	
Domestica funera (A. R.)	24
De Aluisio Orione Patre Miserorum (I. B. Bellissima)	41
Ioachim Antonelli Costaggini obitus (I. F.)	124
Historica	
Historiae notae (S. Romani):	
— De Romana Republica a Regibus exactis ad pugnam ad lacum Regillum.	17, 28
— De Romana Republica a Regillensi pugna ad rogationem Tarentillam.	53
— De Romana Republica a rogatione Tarentilla ad Decemvirolos depulsos.	73
— De Romana Republica ab abrogatis Decemviris ad coniurationem Spurii Melii	103
— De Romana Republica a coniuratione Sp. Melii ad Gallorum invasiones	125
De nosocomiis (X).	21
Rolandus adolescens (I. Antonelli)	33
De causis potioribus quae romanum imperium, evangelica virtute operante, labefactarunt (A. Aureli).	39
Maria Euphrasia Pelletier (A. Milani).	49
Tannhäuser equitis fabula (I. Antonelli)	82
Mortuorum cultus (H. P.)	113
Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: « De republica disputationes ex prima decade T. Livii » latine vertit H. BINDI:	
— Quibus ex causis potissimum soleant oriri bella. In II operculi pag. fasc. I	
— Arcendam esse invidiam, si quis auctoritate sua in Rempublicam boni quidam introducere queat. Id. fasc. II	
— Imperator talis eligendus, cui miles confidere possit. Id. fasc. III	
— De dolo atque fraude in bellicis negotiis. Id. fasc. IV	
— Quantum intersit ad conservandam Rempublicam ut ratio divini cultus atque Religionis habeatur. Id. fasc. V	
— Romanorum exercituum duces non vehementer puniri solitos, quamvis aliquando in rebus agendis capiendisque consiliis errant. Id. fasc. VI.	
— In civitate, qua mores hominum integri sunt, ingratisudinis metus persaepe sollet cives coercere et in officio contingere. Id. fasc. VII.	
— Si qui cives summos magistratus gesse runt, eos non debere postmodum aspernari minores. Id. fasc. VIII-IX	
Alloquia sociis et lectoribus	1, 86, 111, 125
« Alma Roma » ad pedes Pii XII P. M.	15
Annales 14, 24, 38, 47, 61, 71, 84, 98, 109, 123, 135	
Archaeologica	
Aqua, quam Romae bibimus, ex Consule « Marcia » an potius ex Quaestore « Marcia » dicenda est? (A. Aureli).	68
De Christianorum martyrum suppliciis (S. S.)	76, 93
Ars	
De Iaceko Malczewskio Pictore Polono (I. B. Bellissima)	75
Iesus puer in pingendi arte perspectus (X) .	129
Carmina	
Mysteria rerum (I. Morabito)	3
Solamen (Hirpinus)	19
Pius XII orbis pacificator anno I Pontificatus eius exeunte (Hirpinus)	25
Vergilius ad Cilinium Maecenatem (V. Polydori).	42
Ad S. Philippum Nerium die eius natalis redeunte a. MCMXL (I. Antonelli Costaggini)	58
Ad Mariam Goretti puellam duodecennem in Agro Neptuni pro pudicitia barbare peremptam d. VI mens. Iulii MDCCCI (Hirpinus)	70
Vita tritici sementis (Hirpinus)	92
Ad discipulos novum scholarum annum ineuntes (A. B.)	119
Ad Iesum puerum (Hirpinus)	128
Certamina poetica	
Exitus certaminum poetarum Ruspantini et Hoeufftiani (A. R.)	44
Cfr. etiam Historica (Ex Nic. Machiavelli)	70
Civilia	
Anno MCMXXXIX exeunte (P.)	7
Cfr. etiam Historica (Ex Nic. Machiavelli)	
Epistolarum commercium	
De « Gruppenhe » (S. Romani)	10
Ad latinitatis studia fovenda (A. De Pal) .	35
De studio latinitatis in gymnasii (A. Avenerius)	115
Fabulae	
Doctor eques - Lanius ratiocinator - Vulpes et Gallus (M. Ginotta)	48
Vitae magister - Vulpes senex - Leo moriens et Leo nascens (M. Ginotta)	72